YPOTYPOSIS SIVE CATHOLICAE CIRCA SS. TRINITATEM FIDEI DELINEATIO EX...

Samuel Gardiner

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 B
14

ΥΠΟΤΥΠΩΣΙΣ,

Sive

CATHOLICÆ

CIRCA

SS. Trinitatem

Fidei delineatio

Ex ſcriptis Patrum Ante-Nicænorum deſumpta.

Cui annexa eſt

RESPONSIO BREVIS

Ad ea quæ

CHRISTOPHORUS SANDIUS

IN

Nucleo ſuo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ

Ex iiſdem Patribus

In Arianorum gratiam oppoſuit.

Per SAMUELEM GARDINERUM,
SS. Theol. Profeſſorem & Regiæ
Majeſtati à Sacris.

LONDINI,

Impenſis *B. Tooke*, ad inſigne Navis in
Cœmeterio D. Pauli.

M. DC. LXXVII.

Imprimatur,

Liber hic cui Titulus Ὑποτύπωσις, *ſive Catholicæ*, &c.

26. *Junii* 1676.
ex Æd. *Lambeth.*

Geo. Hooper,
Rmo Archpo Cant.
à Sacris Domeſticis.

Honoratiſſimo Domino

D. JOANNI,

BARONI

DE

STAVELEY.

PAtere, Clariſſime Domine, ſub nominis veſtri patrocinio in publicum prodire lucubratiunculam hanc rudi licet penicillo exaratam. Nequaquam ignorat prudentia tua, utriuſq; hujus Regni Academiæ lacte enutrita, quanti ponderis atq; momenti ſit, præſertim in fidei myſteriis ad

repellendas Hæreticorum argutias Apoſtolicæ & Primitivæ Eccleſiæ autoritas. Clypeum hunc e manibus noſtris non ita pridem eripere conatus eſt Chriſtophorus neſcio quis Sandius, majori incertus dicam an lectionis oſtentatione vel audacia. Piguit certe me puduitq; doctiſſimos Patres Catholicæ fidei vindices & Martyres, obtorto quaſi collo in Arianæ perfidiæ cohoneſtamentum teſtes evocari; a qua quantum toto pectore abhorruerunt non aliunde melius quam ex genuinis

genuinis ipſorum Scriptis infra collectis, omnibus innoteſcat. Quicquid a me hac in cauſa quæ jure ſuo, id eſt, ſummo, ſcriptorem longe ſupra alios doctiſſimum, acutiſſimum diſertiſſimumque exigeret, inter alia negotia curtamque quali hic fruimur librorum ſupellectilem præſtitum ſit, Eccleſiæ Catholicæ, præſertim Anglicanæ (cujus incolumitati magna cum laude pie prudenterque conſulis) judicio humillime ſubmitto. Sanctiſſima quam colis

Trinitas dignitatem veſtram diutinam conſervet, augeatque. Ita orat, vovet,

Ecingtoniæ, Feſto Sancti *Thomæ.*

Honori veſtro devinctiſſimus,

S. GARDINER.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Lector benevole,

H*Abes, Chriſtiane Lector, Ante-Nicænorum Patrum Syllabum, unde quænam fuerit antiquæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ circa Sanctiſſimam Trinitatem fides facile comperias. Omnia me & ſingula quæ in eorundem ſcriptis ubivis occurrunt collegiſſe vanus dicerem, cum quædam, nominatim Tertulliani contra Praxean, & Origenis, prudens ſcienſque prætermiſerim. Haud multa interim, ſaltem quæ alicujus momenti ſint, in cæteris te deſideraturum ſpero pollicearque.*

Patrum verba ſumma fide retuli, quibus interdum notulam vel argumentatiunculam attexui, ſed ex iiſdem ut plurimum clariſſime & quaſi ſponte ſua vel me tacente profluentem. Nonnulla fortaſſe leviora tibi videbuntur, quam ut in iis tranſcribendis operam abuterer, præſertim ſi propriam, vel Ebionis vel Marcionis vel Arii aut Socini hæreſin in animo habeas. Cum vero SS. Trinitatis articulum quem ex Patrum ſcriptis illuſtrandum aſſerendumque ſuſcepimus, aliquo modo ſpectent, nec mihi penitus omittere integrum duxi, nec erit opinor, primævæ antiquitatis conſenſum inveſtigantibus eadem relegere inutile aut injucundum. Nec eſt quod mireris (Lector æque) Sanctium

quædam

quædam ex iiſdem Patribus in Arianæ hæreſeos cohoneſtamentum corraſiſſe: Cum Hæretici, homines perverſi ingenii ſuique admirabundi, nec vel Sacris & θεοπνεύστοις *Scriptoribus parcant, ſed optime dicta privatis interpretationibus in alienum a veritate ſenſum contorqueant* & *depravent. Memineris etiam, quod ipſa res eſt, Patres Apoſtolicæ fidei tenaciſſimos nonnunquam durius, noſtris præſertim auribus Scholaſticorum Phraſibus magis aſſuetis, locutos fuiſſe. Hinc apud S. Hilarium Nicænæ fidei Confeſſorem inter alios acerrimum Scriptum reperias,* Tres eſſe in SS. Trinitate ſubſtantias, *quæ non minus imperite quam impie in Tritheitarum vel Arianorum patrocinium interpreteris. Scitum* De Trin. l. 4.

illud

illud Hieronymi(ut infinita præteream,) Antequam in Alexandria quaſi dæmonium meridianum Arius naſceretur, Scriptores Eccleſiaſtici innocenter quædam & minus caute locuti ſunt, & quæ non poſſunt perverſorum calumniam declinare. *Nec abſimile illud Auguſtini :* Ante mota certamina Pelagiana Patres ſecurius loquebantur. *His autem cum alibi orthodoxam fidem diſertiſſime frequentiſſimeque propugnent, non tam defenſore opus eſt quam candido interprete; fruſtra igitur Philippus (qui noviſſimæ Chriſtophori Sandii Filii ſui hæderam ſuſpendit editioni,) eos qui ambulant in ſemita fidei antiqua &, quod majoris momenti eſt, bona, irreverentiæ in S. Patres arguit, eo quod nonnulla ab*

Apol. 2. adv. Ruffin.

Cont. Julian. lib. 1. cap. 2.

Epiſt. dedicat.

ab iis durius & ſecurius dicta commemorent. An aliter de doctiſſimis Patribus ſententiam ferimus quam Hieronymus & Auguſtinus, ipſi inter Patres celeberrimi, de anteceſſoribus ſuis pronunciarunt? Quiſquamne inter reformatos, imo (quicquid crepant) inter Pontificios doctus & prudens in ſingula Patrum, nonnunquam inter ſe diſſidentium, verba juraverit? 'erbo dicam, (de Philippica ditione in ſecundam partem nonulla, præfaturus) Nos antiquos 'atres non ut infallibiles Judices, d optimos primævæ fidei Tradus & Teſtes ſuſpicimus, recipimus neramur. Qua in re conſentien-n habemus Chriſtophorum, Cum riptura (*inquit*) non ſit proæ privatæq; interpretationis, ortet eam interpretari unani- Lib. 1. pag. 223.

mi

mi conſenſu doctorum primitivæ Eccleſiæ. *Rectiſſime. Catholicæ enim fidei regula minime ex unius vel alterius Patris ſententia nedum reciſa decurtave periodo ſumenda*
Common. c.3. *eſt, ſed (ut habet Vincentius Lyrinenſ.)* quod omnes pariter uno eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeveranter tenuerunt, crediderunt, id ſibi quoque intelligat Chriſtianus abſq; ulla dubitatione eſſe credendum. Hoc eſt enim vere Catholicum. *&c. Tu vero (Chriſtiane Lector) opera hac noſtra quali quali benevole fruere, & ſi Deus vitam conceſſerit in alios tum Catholicæ tum Anglicanæ Eccleſiæ Articulos ſimile aliquid forte tentabimus.*

Vale.

Symbolum

Symbolum Apoſtolicum.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem--& in Je-
m Chriſtum unicum ſuum
ilium Dominum noſtrum--
redo in Spiritum S. &c.

mbolum Nicænum ſeu Conſtantinopolitanum.

CRedo in unum Deum Patrem omnipotentem -- Et
unum Dominum Jeſum
hriſtum, Filium Dei unigeni-
n, ex Patre natum ante om-
a ſecula, Deum ex Deo, lu-
en ex lumine, Deum verum
Deo vero, natum, non fa-
ım, ejuſdem cum Patre ſub-
ntiæ---Credo in Spiritum S.
ominum & vivificantem ex
Patre

Patre Filioque procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, &c.

Articuli Eccleſiæ Anglicanæ de fide in SS. Trinitatem.

Art. 1. UNus eſt vivus & verus Deus---Et in unitate hujus divinæ naturæ, tres ſunt perſonæ ejuſdem eſſentiæ & æternitatis, Pater, Filius & Spiritus S.
Art. 2. Filius, qui eſt Verbum Patris, ab æterno a Patre genitus, verus & æternus Deus, ac Patri Conſubſtantialis---verus Deus & verus homo, &c.

Art. 5. Spiritus S. a Patre & Filio procedens, ejuſdem eſt cum Patre & Filio eſſentiæ, Majeſtatis

jeſtatis, & gloriæ, verus ac æternus Deus.

Symbola tria, Nicænum, Athanaſii & quod vulgo Apoſtolorum appellatur, omnino recipienda ſunt & credenda, nam firmiſſimis Scripturarum teſtimoniis probari poſſunt. Art. 8.

INDEX Patrum.

	Part. I.	Part. II.
Clemens Roman.	Pag. 1.	157
Ignatius.	p. 3.	160
Polycarpus.	p. 8.	
Juſtinus M.	p. 9.	170
Tatianus.	p. 24.	
Athenagoras.	p. 27.	183
Irenæus.	p. 31.	184
Theophilus Antiochen.	p. 44	190
Clemens Alex.	p. 48.	191
Origenes.	p. 60.	197
Tertullianus.	p. 83.	199
Hippolytus.	p. 122.	
Gregorius Thaumat.	p. 123.	
Dionyſius Roman.	p. 124.	
Theognoſtus.	p. 126.	
Dionyſius Alexand.	p. 127.	214
Cyprianus,	p. 130.	212
Arnobius.	p. 136.	217
Lactantius.	p. 141.	220
Patres Concilii Antiocheni.	p. 147.	

CATHOLICÆ Circa SS. TRINITATEM Fidei DELINEATIO.

PARS PRIMA.

Seculum Primum.

CAP. I.

CLEMENS ROMANUS.

INter antiquos Patres aciem ducat Vir Apoſtolicus, (Alexandrino cognomini Apoſtolus) Clemens Romanus; à Paulo Apoſtolo laudatus, cœloque adſcriptus; in cujus celeberrimâ, & in Eccleſiis olim lectu ſolitâ, Epiſtolâ ad Corinthios, hæc habentur. ‘Per hunc (ſcilicet *Jeſum Chriſtum*) per quem *in Epiſtolæ limine ab omnipotente Deo gratiam & pacem illis comprecatur*) vultum ejus (h. e. *Dei Patris*) immaculatum

Strom. 4. Phil. 4.3. Euſ. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 14.

Pag. 47. Edit Patr. Junii.

'maculatum & ſublimem *tanquam in ſpecu-*
Joan. 14. 9. Quis niſi Deus hæc præſtare poteſt? '*lo intuemur.* Per hunc oculi cordis noſtri 'aperti ſunt; per hunc intellectus noſter in-'ſipiens & obtenebratus admirabilem ejus 'lucem attentè contemplatur. Qui magni-
Heb. 1. 3. 'ficentiæ ejus ſplendor & radius exiſtens, 'tanto major eſt Angelis, quanto præſtan-'tius nomen ſortitus eſt. Scriptum enim eſt, '*qui facit Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros*
Pſal. 104. '*ſuos ignis flammam.* De Filio autem ſuo
Pſal. 2. 'ſic dixit Dominus, *Filius meus es tu, ego*
Pſal. 110. '*hodie genui* (non feci) *te.* Et rurſus; *Sede* '*à dextris meis donec ponam inimicos*, &c.

Nec illa, contemnenda. Ramenta auri
Pag. 54. pretioſa ſunt. 'Mandata accipientes Apoſtoli '& per reſurrectionem Domini noſtri Jeſu 'Ghriſti, plenâ certitudine imbuti, Deique 'verbo confirmatî, cum certâ S. Spiritus fi-'duciâ egreſſi ſunt, annuntiantes regni Dei 'adventum.

Ne quid ex Sancti Martyris reliquiis amittamus, nec illa tranſcribere gravabor S. S. Trinitatem planè indigitantia.

Pag. 60. 'Nonne unus eſt Spiritus gratiæ qui ſuper 'nos effuſus eſt: nonne unum Deum & unum 'Chriſtum habemus?

In initio fragmenti Epiſtolæ ſecundæ in hunc modum Chriſtianos alloquitur: 'Fra-'tres, ſic oportet nos de Jeſu Chriſto ſentire '*ὡς περὶ Θεοῦ*, ſicut de Deo. Non decet nos '*μικρὰ φρονεῖν*, humilia aut parva ſentire de 'ſalute noſtra: ſi enim eum parvi faciamus, 'ab eo parva recipere ſperamus. Quanquam

liberè

*l*iberè fatendum ſit Epiſtolæ hujus ſecundæ authoritatem haud immeritò à doctiſſimis viris in dubium revocari. Hæc tantùm ſuppeditat nobis Clemens Romanus. De libris *Conſtitutionum*, quos nonnulli Clementi aſcribant, alibi diſſerendi locus occurret. V. Par. 2. cap. 1.

CAP II.

IGNATIUS.

S. Ignatius ab Apoſtolis Antiochiæ Epiſcopus ordinatus & Martyr, in inſcriptione Epiſtolæ ad Epheſios in hunc modum eos alloquitur. ‘ Eccleſiæ Epheſiorum --- per voluntatem Patris & Jeſu Chriſti Dei noſtri, Cod. Med. Edit. Uſſer. p. 1.
In initio ejuſdem Epiſtolæ ſtatim addit, Excitantes in vobis ignem charitatis ἐν αἵματι θεοῦ, in ſanguine Dei. *Et poſt pauca*, Pag. 8. ibid.
Jeſus Deus noſter in utero geſtatus eſt.
Illa verò præ primis adverſus tum Arii tum Socini blaſphemias animadvertenda ſunt in Epiſtolâ ad Magneſianos. ‘ Quibus (ſcil. Pag. 12.
Diaconis) commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti, ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν, qui ante ſecula apud Patrem erat. *Et paulò inferius*, Pag. 13.
Unus eſt Deus qui ſeipſum manifeſtavit per Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ὃς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, qui eſt verbum ipſius æternum. Quod verò æternum eſt ante Mariam erat, imò, nunquam non erat, quia ſemper erat.

Nec illa planè neglectui habenda ſunt;

Pag. 15. ‘Ut omnia proſperè ſuccedant --- in Filio &
‘Patre & in Spiritu Sancto. Hæc ex Medicæo codice tranſcripſimus.

Hiſce illa adjungimus quæ in editione
Anno 1644. Ignatii Uſſerianâ Oxoniæ reperiuntur, ab
De Synod. Arim. & Seleuc. Athanaſio necnon Theodoreto, laudata. ‘Ha-
Ad Epheſ. p. 33. ‘bemus (*inquit*) Medicum κύριον ἡμῶν Θεὸν
‘Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν τὸν πρὸ αἰώνων υἱὸν μονογενῆ καὶ λόγον
Theodoret. Dial. Immutab. ‘&c. Dominum noſtrum Deum Jeſum Chri-
‘ſtum ante ſecula Filium unigenitum &
‘Verbum. Poſtea verò & hominem ex
‘Mariâ Virgine ἐν σαρκὶ γενόμενος θεός,
‘*ut addit Codex Medicæus*, In carne exiſtens
‘Deus.

Ad calcem ejuſdem Epiſtolæ ita ſcribit
Pag. 46. ibid. Sanctiſſimus Martyr; ‘Tyranni (h. e. *Diabo-*
‘*li*) principatus abolebatur, Θεοῦ ὡς ἀνθρώπου
‘φαινομένου καὶ ἀνθρώπου ὡς Θεοῦ ἐνεργοῦντος, Deo
‘ut Homine apparente, & Homine ſicut Deo
‘operante.

Pag. 56. Idem in Epiſtolâ ad Magneſianos; ‘Qui
‘manifeſtavit, (ſcil. *Deus Pater*) ſeipſum per
‘Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λό-
‘γος οὐ ῥητὸς, ἀλλ' οὐσιώδης, qui eſt Verbum
‘ejus non prolatitium (*quod Hæretici blatera-*
‘*bant*) ſed eſſentiale ſeu ſubſtantiale.

Sequitur ‘Οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα,
‘ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή: Non enim
‘eſt locutio articulatæ vocis, ſed divinæ
‘operationis eſſentia genita. Quanquam hæc ultima minio notata ſint, & meritiſſimè quidem, à R. R. Uſſerio, ut interpolata & Ignatio aſſuta.

Ejuſdem

Ejuſdem coloris & authoritatis plura Le- Pag. 69.
r, ſi velit, paſſim inveniat; præſertim in Epi-
lâ ad Trallianos, ubi in eos invehitur, qui
λοτριῦσι, alienant Chriſtum à Patre. Qui
riſtum ingenitum putant, nec Spiritum
nctum confitentur; necnon in eos, qui Fi-
um, Ψιλὸν ἄνθρωπον, purum Hominem eſſe
cent, aut dicunt ταυτὸν eundem eſſe Pa-
em, Filium & Spiritum Sanctum, ut poſtea
ocuit Sabellius.

Ibidem hæc habes. 'Fugite τοὺς ἀνθρωπο- Pag. 78.
λάτρας, Hominis cultores (*Hebionitas*, &c.) Jer. 17. 5.
quos maledictos eſſe Jeremias Propheta aſ-
ſeruit. *Necnon*; Vere natus eſt Deus Ver- Pag. 76. in Græcis.
bum ex Virgine -- qui omnes homines for- V. Iren. lib.
'mat in Utero. His verò reliquiſque, quæ 5. cap. 15. Feu-
etiam in Ignatii Epiſtolis γνησιοτέραις inter- ardentii. E-
polata occurrunt, prætermiſſis, ſatiùs exiſti- raſmi edit. p.
mo Græcis, iiſque ab Armachano minio 465.
non ſignatis inſiſtere, utpote in quibus, aut
nuſpiam, genuinum Martyris ſpiritum attra-
hamus. Illa igitur in ſupra laudatâ ad Tral-
lianos Epiſtolâ, cùm verè Ignatiana ſint, Pag. 65.
tranſcribere non pigebit.

'Obedientiam Epiſcopo præſtantes, non
'videmini mihi ſecundùm Hominem vivere,
'κατ' ἄνθρωπον, ſed ſecundùm Jeſum Chri-
'ſtum.

Similiter ad Romanos; 'Concedite mihi
'ut ſim imitator Paſſionis Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ μου,
'Chriſti Dei mei; Quem antea in ipſâ Epiſto-
ſtolæ inſcriptione, *Deum noſtrum* appella-
verat.

Pag. 106.

Ad eundem modum Philadelphenſes ſalutat; ubi hæc inter alia reperias; ‘Chriſtus ‘janua eſt per quam introiit, & Abraham, & ‘Iſaac, & Jacob, Moſes & omnis chorus Pro-‘phetarum. *Epiſtolam hiſce verbis obſignat:* ‘Quos redimet Dominus Jeſus in quem ‘ſperant ſpiritu & fide. Incolumes eſtote in ‘Domino Jeſu Chriſto, communi ſpe noſtrâ. Sanè qui nos redimit, in quem credimus & ſperamus, in quo incolumes eſſe poſſumus; is non alius quam verus Deus eſt. Hæc, quæ fortaſſe nonnullis leviora videbuntur, verè Ignatiana ſunt, nec plura præſentem cauſam ſpectantia legenti mihi obſervare contigit. Lapides non numero, ſed pretio; nec ſpecie aut magnitudine, ſed virtute & veritate æſtimamus. Epiſtolæ ad Antiochenos, Heronem, Philippenſes, cum aliis nonnullis, ſexto demum poſt Ignatii obitum, ut doctioribus & κριτικωτάτοις videtur, ſeculo, S. Martyri affictæ & adſcriptæ ſunt. Ex quibus, cùm antiquitate gaudeant minimè contemnendâ, nonnulla, ſed parcâ manu, tranſcribere libet, nè Ariani ſequioribus ſeculis totum mundum factum eſſe Arianum inſcitè glorientur.

Ἐν Χειςῷ μόνῃ ἐλπίδι ἡμῶν. Ad Eph. in fine.

Uſſerius in Ignatium, cap. 6.

V. Sandium infra.

Pag. 153.

In Epiſtolâ ad Antiochenos, hæc habemus apprimè notanda. ‘Omnem Judaicum & ‘Paganicum errorem abjicite; & neque mul-‘titudinem Deorum admittite, neque Chri-‘ſtum ad excuſationem προφάσει (obtentu) ‘unius Dei (*Deum eſſe*) negate. Moſe ad popu-‘lum dicente, *Dominus Deus tuus, Deus unus* ‘*eſt*;

Judaicus error eſt obtentu unius Dei Chriſti Deitatem negare. v. Tert. adv. Prax. inf. Deuteron. 6. 4.

eſt; & unum atq; ſolum Deum prædicante, confeſſus eſt ſtatim etiam Dominum noſtrum (*ſcil. Chriſtum*) dicens, *Pluit Dominus à Domino de cælo.* Et iterum. *Et dixit Deus, faciamus Hominem ad imaginem noſtram. Et fecit Deus* (h. e. Chriſtus) *hominem, ad imaginem Dei fecit illum*: Prophetæ etiam ex perſonâ Dei dixerunt; *Ego Deus primus, & præter me non eſt Deus.* Hoc autem de Patre omnium dixerunt. De Domino verò noſtro Jeſu Chriſto rurſum Prophetæ proclamaverunt dicentes: *Ecce Puer natus eſt nobis --- & vocabitur Deus fortis.* Nam & de Incarnatione ejus ex Virgine dicunt: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, h. e. Deus nobiſcum.* Nam & Evangeliſtæ dicentes, *unum ſolum verum Deum eſſe Patrem*, etiam quæ ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pertinent, non prætermiſerunt, dicentes, *In principio erat Verbum--- & Deus erat Verbum --- & Verbum caro factum eſt.*

Unus Deus nihil derogat Chriſto. Gen. 19. 24. Gen. 1. 26. Iſai. 44. 6. Iſai. 9. 6. 7. 14 Joan. 17. 3. Joan. 1. 1.

Reliquis quæ ſequuntur omiſſis in hunc modum concludit: 'Omnis ergo qui unum Deum annunciat, intercipit autem Chriſti θεότητα Deitatem, filius eſt Diaboli & inimicus omnis Juſtitiæ. Pag. 155.

Similiter ad Heronem. 'Si quis hominem tantùm, ἄνθρωπον ψιλὸν, dixerit Dominum, Ιουδαῖος ἐστὶ χριστοκτόνος, Judæus eſt Chriſti interfector. Pag. 164.

Tandem ad Philippenſes; 'Dominus præ- Pag. 173.

'cepit Apoſtolis baptizare in Nomine Patris
'& Filii & Spiritus S. non in unum trino-
'mium, τριώνυμον, ἀλλ' εἰς τρεῖς ὁμοτίμους, in
'tres unius ejuſdemque honoris. Hæc Cerinthi, Ebionis, Samoſateni, Sabellii, Arii, Photini, Socini, hæreſes tranſverberant & confodiunt. Sed de Ignatio ſatis dictum eſt.

CAP. III.

POLYCARPUS.

POlycarpum Ignatii σύγχρονον, & Johannis Evangeliſtæ Diſcipulum, ab ejuſdem conſortio divellere facinus eſſet haud facilè excuſandum.

Pag. 13. In Epiſtolâ ad Philippenſes hiſce verbis præfatur; 'Miſericordia vobis & pax à Deo 'omnipotente, & Jeſu Chriſto Salvatore 'noſtro, abundet. --*Quibus addit*; Congra-'tulatus ſum vobis---ſuſcipiens imitabilia 'verba dilectionis quam oſtendiſtis---decoro-'ſis vinculis connexis, quæ ſunt coronæ τῶν 'ἀληθῶς, ὑπὸ Θεοῦ καὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἐκλελεγμένων, 'verè à Deo & Domino noſtro electorum, & 'quia firmitas fidei veſtræ uſque nunc perma-'net & fructificat εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, 'ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum (h. e. *in ejus gloriam*) Quod ſi cum veteri interprete legamus, in Domino Jeſu Chriſto, res in idem recidit. Quis autem niſi verè Deus pacem & miſericordiam miſeris pecca-

toribus

ibus impertiri, aut quemquam ad vitam ernam eligere poteſt?

Si Dominus noſter Jeſus Chriſtus non niſi atura ſit, præſtantiſſima licèt, quo pacto largiendis hiſce, Deo, eíque omnipotenti ungitur, & ex æquo invocatur? Poteritne riſtiana fides cum laude, nedum cum firate, in homine collocari? Fructuſne bo- V. Origen. Hom 15. in Jerem. in fine. um operum in creaturæ honorem deſtitur? Hæccine Polycarpiana fides? Abſit. Jer. 17.5.

Seculum Secundum.

CAP. I.
JUSTINUS MARTYR.

Floruit an. 150

Iſtinus Philoſophus, Eccleſiæ Chriſtianæ v. Apol. 2. ivinior Plato & Mart. Sanctiſſimæ Trini- pag. 65. s myſterium nobis enucleatius explicabit.

n Parænefi, ad Græcos de Jeſu Chriſto Pag. 28. Edit. Commelin. atore noſtro verba faciens, hæc habet. ii cùm Dei verbum λόγ☉ ſit ἀχώειςος δύναμει, potentiâ (*à Patre*) indiſcretum, homi- aſſumpto ad memoriam nos priſcorum rentum religionis revocavit.

ui verò à Deo Patre indiſcretus eſt potenidem eſt (ut rectè colligas) & eſſentiâ naturâ.

n Apologiâ ad Senatum Romanum ità Pag. 35. oit. ‘Porrò Filius ejus (*poſtquam de Patre*

Chriſtus ſolus propriè Dei Filius.

'*Patre univerſarum rerum Parente differui-*
'*ſſet)* ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, qui ſolus
'propriè dicitur Filius, & Verbum ſimul
'cum illo ante creaturas exiſtens & naſcens,
'(ſeu *natus*, γεννώμενος) quoniam in princi-
'pio per eum (ſci. *Filium* λόγον) cuncta con-
'didit.

Pag. 40.

In eâdem Apologiâ verſus finem in hunc modum Chriſtianorum ſui temporis fidem praximque declarat. 'Ingeniti Dei ra-
'tionem λόγον ſeu Verbum μετὰ τὸν Θεὸν προ-
'σκυνοῦμεν καὶ ἀγαπῶμεν, poſt Deum adoramus
'& diligimus.

Pag. 49.

Quibus poſt nonnulla interjecta ſubjungit
'Θεὸν μόνον προσκυνοῦμεν, Deum ſolum adora-
'mus. Verbum igitur, ſeu Chriſtus, juxta Juſtini, Chriſtianorumque quorum cauſam agit, fidem, veriſſimè Deus eſt.

Pag. 43.

Chriſtiani adorant Patrem, Filium & Spiritum S. v. Athenagor. infra.

In Apologia verò ſecundâ Græcis Chriſtianos ἀθεότητος, h. e. Atheiſmi, inſimulantibus, præclaram opponit diſtinctamque Trinitatis confeſſionem. 'Profitemur *(inqvit)*
'nos talium qui habentur *(à Gentilibus)*
'Deorum eſſe expertes, & ἀθέους, ſed non ve-
'riſſimi illius Dei Patris---verùm hunc ip-
'ſum, & qui ab eo venit, atque iſta nos, &
'bonorum Angelorum exercitum, docuit,
'Filium & Spiritum propheticum colimus
'& adoramus. Quis non hîc videt Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, unum eundemque Deum à Juſtino Martyre perhiberi? Cum ſuo Chriſtianorumque omnium nomine alibi hâc ipsâ in Apologiâ diſertè profitea-

tur,

, 'Deum ſolum adoramus, & in aliis re- Pag. 49 & 50.
ıs vobis (*Imperatores alloquitur*) læti
ſervimus. Angelorum autem vel San-
rum hominum cultus Juſtini ſeculo pla-
incognitus erat. Filius interim & Spi-
ıs S. cum Patre adorabantur & coleban-
à Chriſtianis, Gentilium Polytheiſ-
m toto (quod aiunt) pectore abomi-
ıtibus. Hi tres igitur *unus Deus*, ſeu *unum*
urâ, ſunt, in ſecula adorandus & colen-
.

dem poſt pauca repetitum dat Sanctiſſi-
s & Doctiſſimus fidei Chriſtianæ Martyr: Pag. 47. Trinitas.
ſum Chriſtum verum Dei Filium eſſe
octi ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ, in ſecundo loco ha-
ıtes (*cùm ſecunda perſona in ſanctiſſimâ*
initate ſit) ac ſpiritum Propheticum ἐν
τῇ τάξει, in tertio ordine, cum ratione ho-
ramus. Quam ob cauſam (*inquit*) inſa-
ım nobis objiciunt (*Gentiles*) ſecundas
s poſt incommutabilem ac ſempiternum
eum & parentem omnium homini cruci-
o deferre dicentes. Myſterium autem & Gentilium exceptio.
canum hujus rei ignorantes. *Quibus re-*
ndet, Nos ſolum ſeu ſingularem Deum
ingenitum per Filium ipſum ſequimur,
-qui non Sophiſta, ſed virtus Dei ratio
Verbum ejus fuit --- primumque geni-
en Dei abſque miſtione genitum, καὶ πρῶ- Pag. 52.
ν γέννημα ἄνευ ἐπιμιξίας.

Deinde Obtrectatorum exceptioni pro-
regerit, 'Jeſum Chriſtum Magiſtrum
ſtrum crucifixum, mortuum & redivi-
vum

'vum aſcendiſſe in cœlum aſſerentes, nihil 'novi ab iis qui apud vos dicuntur eſſe Jovis '(*Deorum hominumque Patris*) Filii aſſeri'mus. Scitis quot Jovis liberos Scriptores 'veſtri memorant. Mercurium λόγον τ̃ ἑρμη'νευτικὸν, verbum interpretem, Æſculapium 'Medicum, qui fulminatus aſcenderit in cœ'lum, Bacchum dilaniatum, Herculem, &c. Argumento uſus à pari & (ut loquuntur Dialectici) ad hominem. Hiſce præclarè adjiciens 'Filius Dei Jeſus etiamſi (h. e. *ſi* '*ità ſupponamus*) communi aliorum more 'hominum tantùm eſſet, εἰ κοινῶς μονὸν ἄνθρω'πος, ſi communiter ſolum homo eſſet, pro'pter ſapientiam tamen dignè Dei Filius di'ceretur. -- Sin peculiariter etiam, præter 'communem Mortalium nativitatem, eum 'ex Deo rationem & verbum genitum dici'mus, (*quod aſſerere videtur*) quemadmo'dum antea memoravi, commune hoc nobis 'ſit vobiſcum, qui Mercurium λόγον τ̃ παρὰ 'Θεοῦ ἀγγελτικὸν, verbum à Deo internun'cium nuncupatis.

Poſt nonnulla hæc habet minimè negligenda; 'Jeſus Chriſtus, ſolus propriè Filius

Ib. pag. 53. 'Deo genitus, μόνος ἰδίως υἱὸς τῷ Θεῷ γεγέν'νηται, qui Ratio ſeu Verbum λόγος, ejus '& primogenitus & virtus eſt. *Attende*, Chriſtiane Lector, Chriſtus Dei ratio, λόγος à Juſtino appellatur, non propter temporalem creationis derivationem (cujus cæteræ omnes rationales creaturæ, tum Angeli, tum homines, participes ſunt) quin potiùs pro-

pter

er eſſentiæ unitatem, & æternam ineffa-
emque generationem, cùm ſit (ut ait
nctus Martyr) ‘ ſolus propriè Filius Deo
genitus ; ac proindè veriſſimè Deus, uti
oſtea pluribus demonſtrat.

Interim de Spiritu S. illa ſubnectit quæ Ib. pag. 56.
ætermittere mihi religio eſt. ‘Per Prophe- Similiter pag.
tas Spiritus Propheticus quæ futura erant 57. & 58.
antequam fierent prænunciavit. Eſt igitur
piritus S. ὑφιστάμενον, perſona ſubſiſtens &
ntelligens futurorum, etiam maximè con-
ingentium, antequam fiant, præſcia ; quod
naximum infinitæ ſcientiæ, ac proindè eſ-
ſentiæ, argumentum eſt.

Poſt haud pauca interjecta, verba illa
Davidis, *Tollite portas Cælorum, ut ingredi-* Pſal. 24.
atur Rex gloriæ ; quis eſt iſte Rex gloriæ ? Do-
minus fortis, & Dominus potens ; Chriſto Do-
mino noſtro applicat : Chriſtus igitur Rex
gloriæ, &c.

Ad calcem Apologiæ Baptiſmi admini- Pag. 73.
ſtrandi in primitivâ Eccleſiâ rationem de- Baptiſmus in
ſcribens, hæc habet; ‘ In nomine rerum cun- nomine Patris,
‘ ctarum Parentis & Domini Dei, & Serva- Filii & S. S.
‘ toris Jeſu Chriſti & Spiritus S. in aquâ adminiſtratur.
‘ tum lavantur ſcil. *Catechumeni Chri-*
ſtiani.

Iterum, ‘ In nomine etiam Jeſu Chriſti Pag. 74.
‘ crucifixi ſub Pontio Pilato, atque in nomi- Prophetæ o-
‘ ne Spiritus S. qui per ſacros Vates prænun- mnes res Chri-
‘ ciavit omnes res Chriſti, abluitur is qui ſti prænun-
‘ illuminatur; h. e. *baptizatur.* ciarunt.

Pergit Philoſophus noſter verè divinus & Pag. 75.
Judæos

Judæos erroris arguit eò quòd doceant carentem illum nomine Deum, (Patrem ſcil. & non Filium) cum Moſe collocutum eſſe, ---Jeſum autem Chriſtum, qui prius Verbum exiſtens erat, aliquando in formâ ignis, aliquando in imagine incorporeorum (h. e. Angelorum) apparuiſſe probat' ex verbis Moſis. *Et locutus eſt Angelus Dei cum Moſe in igne è rubo*, &c. 'Hic 'Angelus (*inquit*) non erat Parens uni-'verſitatis, ſed Verbum ejus Filius. Ita-'que Judæi exiſtimantes ſemper Paren-'tem rerum cunctarum (h. e. *Deum Pa-'trem*) cum Moſe eſſe locutum, cùm Filius 'Dei eſſet, qui & Angelus cognominatus eſt, 'rectè à Prophetico Spiritu, & ab ipſo 'Chriſto coarguuntur, neque Patrem neque 'Filium noſſe. Qui enim (*quod notandum 'eſt*) Filium Patrem eſſe dicunt, comperiun-'tur neque Patrem ſcire, neque Filium eſſe 'Patri univerſorum noſſe, qui quòd Ver-'bum & primogenitus Dei ſit, Deus etiam 'eſt. Quibus verbis præclarè nos docet Juſtinus, primùm Patrem non eſſe Filium aut Filium Patrem, ſed aliquo modo. (ſcil. Perſonaliter,) diſtingui. Deinde, Filium non minùs quam Patrem Deum eſſe, & cùm Deorum multitudinem ubique exagitet Juſtinus, unus & ſolus idemque cum patre Deus. Filium autem eundem cum Patre Deum eſſe, vel Deum Abrahæ Iſaac & Jacob, verum Deum Iſraelis, ex eiſdem verbis quæ Moſi in rubo dicta ſunt confirmat, '*Ego ſum*

Chriſtus ante Mariam.

Exod. 3. 6.

Verbum Deus eſt.

Vide Apol. 2. pag. 59. & Dialog. pag. 197 ubi Filii necnon Spiritus S. προσωπον perſonam agñoſcit.

Exo. 3. 6. 14.

m exiſtens ille Deus Abrahæ, & Deus Pag. 75.
aac, &c. quibus, *inquit S. Martyr*, ſignifi-
tum eſt mortuos quoque illos remanere,
εἶ) αὐτῦ τῦ Χριςῦ· ἀνθρώπυς, & ipſius Chri-
hominés fuiſſe. Erant igitur Abraham Vide Irenæum
ac cæterique Patriarchæ non modò Patris, lib. 4. cap. 11.
insuper Filii creaturæ. infra.

Apologiam obſignat ſententiâ hâc memo- Pag. 77.
ù dignitlimâ; 'In omnibus quas offeri-
mus oblationibus benedicendo laudamus Trinitatis cultus.
actorem omnium per Filium ejus Jeſum
Chriſtum & Spiritum S.

In Dialogo cum *Tryphone* Judæo, Sanctiſ-
mæ Trinitatis adverſario & Chriſtoma-
no, omnibus (quod aiunt) nervis probare
ontendit *Juſtinus*, 'Chriſtum eſſe Deum, Chriſtus Dominus Sabaoth.
Dominum virtutum, Regem gloriæ; nec
andem eſſe (perſonâ ſcil.) cum ſummo Confer. Tert.
rum omnium Patre & Opifice, ſed ab eo cont. Praxean.
numero, licet non conſilio, diverſum & di-
inctum. Audiamus Philoſophum Chriſtia-
num:

'Permitte mihi, (inquit) ô Trypho! Pag. 197.
quarum volo inferre mentionem Prophe- edit. Commelin.
tiarum ad demonſtrandum & Deum &
Dominum virtutum Chriſtum vocari à Spi-
ritu S. Hunc in finem verba Pſalmi 24. al-
legat. Illa præſertim, *Quis eſt iſte Rex glo-* Pag. 198. Pſal. 24.
riæ? Reſpondet (ait) Spiritus S. aut ex
Patris, aut ſuâ ipſius perſonâ, *Dominus vir-* Chriſtus eſt
tutum iſte eſt Rex gloriæ: Non Solomon Rex gloriæ.
(inquit) ſed *Chriſtus* noſter, cui in cœlum
aſcendenti æternæ portæ elevatæ ſunt:

Deinde

Chriſtus à Moſe & Samuele invocatur, ut Dominus.

Deinde ex Pſalmo 46. probat Chriſtum eſſe Deum, & Regem omnis terræ, &c. uti ex Pſalmo 99. Dominum Samuelis & Moſis; qui invocabant nomen ejus.

His reponit Trypho Judæus, 'Permulta 'blaſphema impiaque loqueris (*Juſtinum 'M. redarguens*) crucifixum nobis perſua-'deri petens cum Moſe & Aarone fuiſſe—ac 'deinceps crucifixum in cœlum aſcendiſſe, '& adorandum eſſe. Cujus blaſphemias re-

Pſal 45.

tundit Juſtinus ex illis Pſalmi 45. *Ille eſt Dominus Deus tuus & adorabunt eum.*

Pag. 202.

Nec illud omittendum eſt, Juſtinum generationem Filii Dei ex Deo arcanum inenarrabile agnoſcere, eam in rem Eſaiæ verba

Iſai. 53.

proferens, '*Generationem ejus quis enarra-'bit?* Quale verò (obteſtor te, Chriſtiane Lector, quiſquis es) myſterium, etiam inenarrabile, tibi videatur Chriſtum, ut alias omnes creaturas, quanquam fortè ante omnes alias, ex nihilo factum cum Ario & Sandio profiteri?

Ib. pag. 207.

Sed ad Tryphonem blaſphemantem redeamus. 'Quod ais (Juſtine!) ante ſecula

Chriſtus ante ſecula Deus.

'Deum fuiſſe hunc Chriſtum, ac deinde na-'tum fuiſſe hominem, & non ex homine, 'non modò paradoxum mihi videtur, ſed 'ſtultum. Hæc Judæus Apella. Concedit interim Juſtinus 'nonnullos ex genere no-'ſtro (ſcil. *Chriſtianos, ſed Hæreticos; puta 'Cerinthianos & Ebionitas, &c.*) ipſum 'Chriſtum hominem ex hominibus genitum 'eſſe, quibus (*inquit*) non aſſentior, neque

id

‘ id ſanè multi qui in eâdem mecum ſenten-‘ tiâ ſunt (h. e. *Chriſtiani*) dixerint. *Cui* ‘ *Trypho reſpondet*, Mihi quidem qui illum ‘ hominem editum & per electionem inau-‘ guratum, & unctione Chriſtum eſſe fa-‘ ctum aſſeverant, credibiliora quàm vos di-‘ cere videntur. Hæc Judæus: quæ notare libuit ut novi noſtri Judæi (quo nomine Ariani à Conſtantino magno, necnon Athanaſio, ſæpiſſimè compellantur) conſanguineum ſuum agnoſcere erubeſcant. Vide Tertul. cont. Prax. cap. ult.

Iterum inſurgit Trypho. ‘ Reſponde mi-‘ hi, quomodo probare poſſis ὅτι καὶ ἄλλος ‘ Θεὸς παρὰ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, quod alius ‘ (ſcil. *Chriſtus*) ſit Deus præter univerſi ‘ hujus conditorem, & naſci eum ex Virgi-‘ ne ſuſtinuiſſe? Ib. pag. 205.

Hoc ipſum pluribus argumentis è S. literis petitis probare ſatagit Juſtinus, quæ cùm prolixiora ſint, nè Lectori tædium creent, brevitatis ergò in ſyllogiſticam formam conſtringam. ‘ Is qui ad ilicem Mamre Abraha- Ib. pag. 213. 214. ‘ mo apparuit erat verè Deus: Moſes enim ‘ diſerte ait, *Apparuit Abrahamo Deus ad* Gen. 18. 1. ‘ *ſaltum Mamre, &c.* Hic autem non erat Deus ‘ Pater, mundi Opifex, ſed Verbum, & Fi-‘ lius ejus. Alius igitur præter factorem o-‘ mnium dicitur & eſt Deus. Quod Juſtinus in ſe demonſtrandum ſuſceperat. Non fuiſſe hunc Deum Patrem omnium Conditorem probat, ‘ Quia ille (*ut ait*) in ſupercœleſti-‘ bus ſemper manet, & à nemine unquam vi-‘ ſus eſt, neque cum quopiam per ſeipſum

'collocutus eſt. Erat igitur Filius ſeu Ver-
Vid. Irenæ. l. 4. c. 26. infra.
'bum qui Angelus appellatur, eo quod Dei 'Patris voluntatem hominibus annunciet.

Ib. pag. 215.

In argumenti confirmationem addit. 'Ad 'ſcripturas rediens perſuadere vobis conabor 'illum qui Abrahæ & Jacobo & Moſi appa-

Chriſtus alius numero à Patre non conſilio. Χειςὸς τοῦ Πατρὸς γνώμη, Ignatius ad Epheſ. pag. 3. Cod. Med.

'ruit, Deuſque eſſe dictus & ſcriptus eſt, 'alium ab eo eſſe qui cuncta creavit, ἀριθμῷ 'λέγω, ἀλλ' οὐ γνώμῃ, numero dico, ſed non 'ſententiâ. Chriſtum autem numero alium à Deo Patre eſſe & appellari, probat ex verbis Moſis; '*Dominus pluit --à Domino de 'cœlo. Dominus ait Domino.* Ergo (*inquit*) 'alius à Spiritu S. propriè Dominus præter 'univerſorum Parentem appellatur. Cui adjungit illud Davidis: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris*, &c. Similiter ex Pſalmo 45. *Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi*, &c. *Unxit te Deus, Deus tuus*, &c. Infert, Spiritum S. aliquem alium Dominum & Deum dicere παρὰ τὸν πατέρα τῶν ὅλων præter Patrem univerſorum.

II.
V. Dial. p. 244.

Is qui Jacobo apparuit in Bethel, & qui cum eo in humanâ ſpecie luctatus eſt, erat Deus: dicente Scripturâ; *Ego ſum Deus à*
Gen. 35. 3.
te conſpectus in Bethel. Hic autem non erat Deus ſuper omnia (h. e. *Pater*) ut antea probatum dederat, ſed Angelus,
Mal. 3. 1.
(ſcil. *fœderis*) Deus nimirum Filius, Dei nuncius & Angelus, factoris rerum omnium voluntati & conſilio miniſtrans.

III.
Exod. 3. 6.

Angelus qui in rubo Moſi apparuit erat, ipſo proclamante, *Deus Abrahæ, Iſaaci & Jacobi,*

cobi, verus Deus Iſraelis. Sed ille Angelus non erat Pater & Parens univerſi; ‘Nemo enim, ‘(*ait Juſtinus*) cui vel minimum mentis eſt, ‘Authorem & Parentem univerſorum ſuper-‘cœleſtia reliquiſſe, & in puſillâ terræ parte ‘ſeſe exhibuiſſe dicere ſit auſurus. Chriſtus igitur erat qui Moſi, ut cæteris Patriarchis, hic in terris apparuit, quem ſcriptura aliquando Deum, aliquando Angelum, nonnunquam Dominum aut Verbum appellare conſuevit.

V. pag. 279. Confer Theoph. Antiochen: lib. 2. pag. 100 infra habes.

Generationem inſuper hujus Verbi ſeu Filii ex Patre omnium authore in hunc modum adumbrat nobis divinus noſter Philoſophus, quem libentiſſimè interponam. ‘Qualem (*inquit*) generationem in nobis ‘quoque quodammodo fieri videmus. Ver-‘bum enim aliquod proferentes, verbum ‘(ſcil. *internum ſeu mentis*) gignimus, ‘ὀ κατ' ἀποτομὴν, non per reſectionem, ità ut ‘quod in nobis proferentibus ineſt immi-‘nuatur λόγος, Verbum ſeu ratio. Quomodo ‘in igne videmus alium fieri non decreſcente ‘illo unde facta eſt alterius accenſio, ſed in eo-‘dem ſtatu permanente? His interjectis iterum probat alium Dominum & Deum dici & eſſe præter Patrem univerſorum ex illis Dei verbis apud Moſen. *Faciamus hominem ſecundum imaginem noſtram*, &c. Quibus ſtatim addit Juſtinus, ‘Nè depra-‘vantes quæ adduximus verba illa aſſeratis ‘quæ Rabbini veſtri allegant, vel quod ad ‘ſeipſum (ſicut & nos perſæpe ad nos ipſos)

Ib. pag. 221.

Ib. pag. 222. Gen. 1. 26.

'vel ad elementa locutus ſit Deus, verba rur-
'ſus alia à Moſe prolata referam, ex quibus
'citra ambiguitatem certò ad aliquem qui
'& numero alius ſit, & rationalis, ipſum lo-
'cutum eſſe cognoſcere poſſumus; ſcil. *Et
'dixit Deus, Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex
'nobis*; itaque, quaſi unus ex nobis di-
'cens, tùm numerum eorum qui unà eſſent,
'tum minimùm duos indicavit: Magiſtri
'veſtri Rabbini demonſtrare nequeunt An-
'gelis hoc dictum eſſe, vel Angelorum crea-
'turam eſſe corpus humanum. Hæc Juſti-
nus.

Sermo ſive Verbum numero alius à Patre & rationalis.

Gen. 3. 22.

Ariani Rabbinorum Diſcipuli.

Deinceps poſtquam verba illa Pſalmi 25. recitâſſet, ſcil. *Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, &c. Ipſe eſt Dominus tuus & adorabis eum.* Adjungit, 'Hiſce verbis ſatis diſcr-
'tè eſt indicatum, ampliſſimum eum ha-
'bere à rerum creatore teſtimonium, ado-
'randum eum nimirùm eſſe & Deum &
'Chriſtum. Quibus reſpondet Trypho (ut Judaicam fidem, ſeu potius perfidiam ex adverſo collocemus; contraria enim juxta ſe poſita, magis eluceſcunt) 'Sit veſter Domi-
'nus Chriſtus & Deus. Nos autem, ejus
'Dei, qui & hunc ipſum fecit, cultores cùm
'ſimus, non indigemus ejus adoratione. Hæc Judæus. Prætermittere non poſſum quòd cùm verba Eſaiæ attuliſſet Trypho, nimirùm, *Ego Dominus Deus, & gloriam meam alteri non dabo*, ut Jeſu Chriſti Domini noſtri deitatem labefactaret; regerit Juſtinus (utinam Hæretici noſtri temporis animadverterent) 'Deum

Ib. pag. 223.

Pſal. 45. 7.

Chriſtus adorandus ut Deus.

Eſaiæ 42. 8.

'Deum, ut ex illo ipſo Prophetæ loco facilè 'colligamus,ſoli Chriſto quem in lucem Gen-'tium conſtituit, gloriam ſuam dare, & non 'alteri cuiquam. Excluduntur igitur hoc loco ſimilibuſque Dii alieni & creaturæ omnes à Gloriâ Dei, non Chriſtus ejus Filius proprius & unigenitus. Similiter Tertull.cont.Prax. infra.

Alibi Judæos alloquens hæc habet S. Martyr, 'Si Prophetas intellexiſſetis Chriſtum 'ſingularis & ingeniti ineffabiliſque Dei 'Filium ipſum eſſe Deum non inficiati eſſet 'is. Pag. 278.

Ad finem Dialogi ea quæ priùs demonſtraverat repetens, ait, 'Nec Abraham, nec 'Iſaac, nec Jacob, nec hominum ullus, Pa-'trem & ineffabilem Dominum rerum uni-'verſarum & ipſius Chriſti vidit; ſed illum 'qui juxta conſilium ejus & voluntatem, & 'Deus eſt, Filius ipſius & Angelus, eo quòd 'ſententiæ illius eſt adminiſter; quandoqui-'dem (*inquit*) niſi ad hunc modum S. lite-'ras intellexerimus, eò res evadet ut Pater '& Dominus univerſorum tùm in cœlis non 'fuerit cùm per Moſen dictum fuerit, *Et 'Dominus pluit ſuper Sodomam*, &c. *à Domi-'no de cœlo.* Ac rurſum cùm per Davidem 'dictum eſt, *Tollite portas Principis*, &c. Quibus addit, 'Scio eſſe qui occupare iſta volunt, '& dicere virtutem δύναμιν à Patre rerum 'omnium provenientem, quæ Patriarchis ap-'paruit,Angelum,Gloriam,Virum & Verbum 'appellari;virtutem autem eam à Patre nullo 'modo disjungi aut ſecerni poſſe. Patrem

Ib. pag. 280.

Juxta voluntatem ſcil. æternam, non invite. V. Athanaſ. orat. 4. in Arian. p. 298.

Gen. 19. 24.

Pſal. 24.

Ib. p. 281.

'autem cùm vult efficere ut virtus ejus pro-'ſiliat, & cum vult ut eandem ad ſeipſum 'retrahat. Hoc etiam modo Angelos illum 'facere docent, virtutem verò iſtam, quam 'Deum ſermo propheticus vocat, non ità ut 'ſolis lumen nomine tantùm numerari, ve-'rùm numero quoque aliud quiddam eſſe, 'ratione exquiſitâ (*inquit*) ſupra paucis ex-'plicui. Virtutem autem hanc dico de Patre 'genitam δυνάμει καὶ βουλῇ, virtute & conſilio 'ejus, non per reciſionem, veluti ab eſſentiâ 'Patris diſpertitam, prout alia omnia diviſa '& ſecta non eadem ſunt quæ ante fuerunt. 'Atque exempli gratiâ ea aſſumpſi quæ ab 'igne accenſa ignem alium repræſentant illo 'nihil diminuto--unde multi accendi poſſunt 'ignes; *His annectit*; Quando dicit ſcriptura, '*Pluit Dominus à Domino*, duos propheti-'cum Verbum numero eſſe declarat. Alterum 'in terris, quem deſcendiſſe ſignificat;--alte-'rum in cœlis, qui etiam Dominus in terris 'apparentis Domini erat tanquam Pater, & 'Deus, atq; idem Author eidem ut ſit, atque 'equidem ut potens, & Dominus & Deus ut 'ſit. Rurſus cùm ſcriptura dicat, *Adam factus* '*eſt ut unus ex nobis*--Ea verba Tropologiam 'non admittunt, uti exponere moliuntur 'Sophiſtæ & Cavillatores.

Perſona ſcil.: non natura, V. Par. 2. Quo ſenſu.

Ibid.

Chriſtus Deus ſed Filius ex Deo genitus Tert. cont. Prax. in fine Gen. 3. 22.

Tandem Colophonem Dialogo imponens addit; 'Intelligitis (Auditores) 'ſcripturam declarare, tùm à Patre editum 'eſſe germen hoc ante creaturas omnino 'univerſas, tùm germen ipſum numero

aliud

‘ aliud eſſe à generante, quod unuſquiſque
‘ confitebitur.

Ex his quæ collecta ſunt apertiſſimè conſtat S. Juſtinum alium præter omnium Parentem, nimirum Chriſtum, Deum confiteri, eumque non virtutem tantùm à Deo exilientem, ſed πρόσωπον, perſonam, ſeu ſubſtantiam revera ſubſiſtentem, & numero à Patre diſtinctam agnoſcere. (V. Pag. 59. & 197.) Sanctiſſimi Martyris vindicias contra *Tritheitarum* calumnias (Arianorum infra examinabimus) ſatis præſtat, vel ipſe titulus libri ſui *De Monarchia Dei*; fragmenti, ni fallor, operis magis perfecti, ſed jam deſiderati; in quo nihil reperio præſenti cauſæ inſerviens. Quod de Epiſtolâ ejuſdem Zenæ & Sereno inſcripta dictum putes. Ex expoſitione autem fidei de rectâ confeſſione de S. & conſubſtantiali Trinitate plura conſcribere haud operæ pretium exiſtimavi, cùm libellus iſte apud omnes ferè jam doctos ſuppoſititius & ψευδεπίγραφος habeatur; nec immeritò; cum ejus nec Euſebius, nec Hieronymus, nec Photius, vel quiſquam vetuſtiorum Patrum ullibi mentionem faciat: quanquam illis temporibus ad mota Arianorum certamina plurimùm conferre potuiſſet Juſtini authoritas. (V. Sylburgium, Scultetum Magdebur. Bellarm. Petavium. &c.) Ariſtotelicorum dogmatum everſio nihil nos ſpectat. Quæſtiones & reſponſiones ad Græcos, necnon ad Orthodoxos, apud omnes ferè in confeſſo ſpuriæ ſunt. Epiſtolarum vacillat authoritas.

In priore ad Diognetum hæc legas mini-

mè contemnenda. ‘ Ipſe omnipotens omnium ‘ Conditor & inviſibilis Deus è cœlis veritatem & verbum incomprehenſibile inter homines locavit--non miſſo hominibus miniſtro aliquo, aut angelo--aut quopiam eorum quibus commiſſa eſt rerum in cœlis adminiſtrandarum cura, ſed ipſo Opifice & Conditore omnium quo cœlos condidit--ὡς βασιλεὺς πέμπων υἱὸν τὸ βασιλέα, tanquam Rex mittens Filium, Regem. *Et poſt nonnulla*: Hic qui ab initio erat (ſcil. *Chriſtus*) novus apparuit. Hic qui ſemper, hodie Filius habitus eſt.

Pag. 387.

Chriſtus ſempiternus.

CAP. II.

TATIANUS.

PPræceptorem ſuum Juſtinum ſequatur Diſcipulus Tatianus, qui in eleganti ſuâ contra Græcos oratione (quanquam nævis alicubi minimè careat) in hunc modum perorat.

‘ Nunc manifeſtius religionis noſtræ arcana pandam. Deus erat in principio. Principium autem, Verbi (h. e. *Chriſti*) potentiam δύναμιν eſſe accepimus. Quippe Dominus mundi cum ipſe ſit univerſorum ὑπόστασις, ſubſtantia ſeu ſubſiſtentia, nondum condito mundo, ſolus erat (quippe quòd nulla adhuc creatura viſibilis, *ut immediatè ſequitur*, aut inviſibilis condita eſſet)

Orat. contra Græcos p. 145. Edit. Pariſ. ad finem Juſtini M.

Confer Tertull. cont. Praxean. cap. 5. infra habes.

‘ ſi

'ſi verò reſpicias potentiam ejus in qua viſi-
'bilia & inviſibilia cuncta conſiſtunt, omnia
'cum ipſo erant. In ipſo enim per potentiam
'verbi tum ipſe, tum Verbum quod in eo
erat extitit. *Græca ità ſe habent*, Σὺν αὐτῷ
διὰ λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς καὶ ὁ λόγος ὃς ἦν ἐν
'αὐτῷ ὑπέστησε. *quæ ſic reddas*, Cum ipſo per
'potentiam verbi, vel rationalem poten-
'tiam, tum ipſe tum Verbum quod in eo erat,
'ſubſtitit. *Quibus addit*, Cum voluit autem
'ipſe, Verbum ex ejus ſimplicitate proſiliit.
'*Græca paulo aliter*, Θελήματι τῆς ἁπλότητος αὐτοῦ
'προπηδᾷ λόγος· Voluntate ſimplicitatis ejus
'proſiliit Verbum. (*Nimirum ad adornan-
'dam mundi creationem*) Verbum verò non
'inaniter prolatum primogenitum πρωτότοκον
'(non quod memineris πρωτόκτιστον primò
'creatum) opus fit ipſius Spiritûs. Hoc ſci-
'mus eſſe principium mundi (ſcil. *Verbum.*)
'Natus eſt autem per diviſionem κατὰ μερισμὸν
'(*qui Tatiani nævus eſt, cùm divina natura in-
'diviſibilis ſit*) non avulſionem: Quòd enim
'avellitur à primo ſeparatur; quod verò di-
'viditur, id functione donatum propriâ nihil
'imminuit illum à quo vim ſuam ſumpſit.
Animadvertendum autem eſt Juſtinum Ta-
tiani Magiſtrum contrarium docuiſſe in Dia-
logo cum Tryphone, ubi ait, 'Verbum geni-
'tum eſſe οὐ κατ' ἀποτομὴν, non per reſectio- Pag. 221.
'nem ſeu diviſionem. Niſi fortè Tatianus per
μερισμὸν ſeu diviſionem nihil aliud quàm di-
ſtinctionem intellexerit, cùm ſeparationem
diſertè diffiteatur.

Pergit

Pergit Tatianus. 'Quemadmodum enim 'ab unâ face aliæ multæ accenduntur, nec 'tamen primæ facis lux minuitur propter 'plures inde ſuccenſas; ſic etiam Verbum è 'Patris potentiâ progreſſum non relinquit 'Genitorem *ἄλογον*, Verbi expertem, ſive 'irrationalem. Nam & ego ſi loquar, & vos 'audiatis, non tamen propter tranſitum ſer'monis ego qui vobiſcum loquor ſermone 'vacuus fio: ſed vocem meam proferens in'cultam in vobis materiam excolere mihi 'propono. Et quemadmodum (*inquit*) ver'bum in principio genitum mundum & nos 'viciſſim genuit, cùm ſibimet materiam pro'duxiſſet; ſic ego quoq; ad imitationem verbi 'regenitus & veritatis illuſtratus cognitione, 'materiæ mihi cognatæ confuſionem emen-
Pag. 146. 'do. *Hiſce poſt pauca adjicit*, 'Verbum illud 'cœleſte Spiritus à Patre genitus, & ratio 'ex rationali potentiâ hominem immorta'litatis imaginem fecit ad imitationem ſui 'genitoris. *Deinde poſt alia*, 'Verbum igitur 'ante creatos homines produxit Angelos. Hæc Tatianus. Ex quibus firmiſſimè colligas Verbum, *λόγον*, Rationem, ex rationali Dei Patris potentiâ genitum, eſſe Deum illum unum omnipotentem Angelorum & hominum, inviſibilium & viſibilium creatorem (ut habet Symbolum Nicænum) qui nos & mundum genuit, ejuſque materiam, ut ſupra vidimus, ex nihilo produxit, quod manifeſtiſſimum eſt divinæ omnipotentiæ argumentum.

CAP.

CAP. III.

ATHENAGORAS.

PRodeat jam graviſſimus & doctiſſimus Philoſophus, ſed Chriſtianus, Athenagoras qui in principio Apologiæ, vel legationis ſuæ pro Chriſtianis, Imperatoribus oblatæ, Deum unum agnoſcit in hæc verba. ‘ Sed quoniam omnis ſermo noſter Deum unum celebrat conditorem illum univerſitatis, qui ingenitus ipſe omnia verbo ſuo creavit, *&c.* ‘ *Tandem concluſionem inferens*, Hunc unum prædicamus Deum. Quin & Dei Filium mente complectimur. Nec eſt quod aliquis ridiculum putet Deo Filium à me attribui, non enim, ut Poetæ fabulantur, qui nihilo meliores hominibus ſuos Deos faciunt, vel de Deo Patre, vel de Filio ſentimus. Sed Filius Dei eſt Verbum, λόγος, Patris in ideâ & efficaciâ: ab ipſo enim, & per ipſum facta ſunt omnia, cum Pater & Filius unum ſint, ita ut Filius ſit in Patre, & Pater in Filio per unionem ἑνότητα (*vel unitatem*) & potentiam Spiritus; ſiquidem mens & Verbum Dei Filius Dei eſt. Jam ſi vobis (*Imperatores alloquitur*) qui intellectus ſubtilitate excellitis altius repetendum videtur quidnam ſibi velit, hic Dei Filius, paucis dicam; Primigenia hic eſt Patris progenies, quæ non ut facta, οὐκ ὡς γινόμενον (à principio enim Deus qui eſt mens æterna ipſe

Legat. pro Chriſt. pag. 5. Edit. Pariſ.

Pag. 10.

Pater & Filius unum ſunt.

Dei Filius non eſt factus ſed genitus.

'ipſe in ſeipſo λόγον, hoc eſt, Verbum aut 'rationem habet cùm rationalis ipſe æter-'nùm ſit) ſed ut rerum cunctarum idea & 'perfectio ἐνέργεια foret, progreſſa eſt, 'προελθὼν (*egrediens erat*,) Hac enim in-'digebat materia illa informis, *&c.* Oratio-'ni noſtræ propheticus etiam Spiritus aſſen-'titur, *Dominus enim* (inquit) *creavit me* '*initium progreſſionis ejus ad opera ſua.*

V. Origenem infra.

Prov. 8. 22.

Cùm locus hic Solomonis præcipuum ſit Arianorum, Chriſtum in ordinem creaturarum redigentium, munimentum, memineris oro (Chriſtiane Lector) quàm diverſo ab Hæreticorum iſtorum ſenſu ab Athenagorâ in teſtimonium adducitur. Jamjam ſcripſerat *Filium* eſſe *unum* cum Patre, *ejus mentem ſeu rationem*, &c. Non in *tempore factum*, ut aliæ omnes creaturæ; ſed *genitum*, idque ab æterno; cùm Deus Pater à *principio* (h. e. ab æterno) *rationem* ſeu λόγον *in ſe habuerit*, eò quod *æternùm rationalis* ſit. Num Deus (fidem, imo Chriſtianorum rationem appello) *ſuam propriam mentem* λόγον ſeu rationem unquam *creaverit vel in tempore vel antea*? Abſit à pectore Chriſtiano blaſphemia tàm prophana, tam inſulſa. Cùm igitur Athenagoras ſupra Filio Dei applicet illa, *Dominus creavit me* (non initium operum ſuorum ſed) *initium progreſſionis ſuæ ad opera*; per *creavit* nihil aliud intellexerit quàm *ordinavit* aut *conſtituit* (quo ſenſu Conſules & Doctores creari dicuntur) ut æterna ejus ratio ſeu Filius προελθὼν (ut ſupra loquitur Athenagoras)

Ita interpretatus eſt hunc locum Euſeb.

ras) exiens ſeu egreſſus (aſſumpta forte humanâ vel aliâ quâcunque viſibili formâ) creationem mundi inſtitueret & informem materiam ſeu chaos in ordinem reduceret & ornatum.

Cæſar apud Socratem Hiſt. Eccl. l. 2. cap. 170. Conferas Theophil. Antioch. infra.

His abſolutis auſcultemur jam divino noſtro Philoſopho de Spiritu S. diſſerenti. ‘Quanquam (*inquit*) & ipſum Spiritum S. ‘agentem in illis qui propheticos ſermones ‘fundunt ita à Deo emanare ad ipſumque ‘reflecti dicimus, ut emiſſi à ſole radii reci‘procantur. *Quibus graviſſimè addit.* ‘Quis ‘igitur non miretur nos qui Deum Patrem ‘prædicamus, καὶ υἱὸν Θεὸν, & Deum Filium & ‘Spiritum S. ita ut unionis eorum vim, τὴν ἐν ‘τῇ ἑνώσει δύναμιν & ordinis diſtinctionem ‘τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, exponamus impios ‘& ſine Deo homines vocari, h.e. ἀθέους, Atheos.

Pater Deus eſt, Filius Deus, Spiritus S. Deus cum unione (naturæ ſcil) & inſuper ordinis diſtinctione, (quoad perſonas.)

Quod paulò infra luculentiùs adhuc (quanquam quæ vidimus clariſſima ſint non ſponte cæcutientibus) exponit hiſce verbis. ‘Quem ‘(ſcil. *Patrem*) utpote Deum cum Verbo ‘ſuo cognoſcere optamus, ut quænam Filii ‘ad Patrem ſit unio, ἑνότης, *vel unitas*, intel‘ligamus. Quid Pater cum Filio communi‘cet, quid ſit, Spiritus. Quæ unitas trium, ‘quæ diſcretio unitorum Spiirtus ſcilicet Fi‘lii & Patris. *Græca* (cùm illuſtre teſtimonium ſit) *ita ſe habent*, Τίς ἡ τῶν πάντων ἕνωσις, καὶ διαίρεσις ἑνουμένων, τοῦ πνεύματος, τοῦ παιδὸς, τοῦ πατρός.

Trinitas in unitate, unitatem in Trinitate colenda juxta Athanaſii Symbolum.

Illa etiam præſenti argumento lucem afferent. ‘Vos quidem (*Imperatores alloquens Antoninum*

Ibid. pag. 17.

Vide Lactant. Inſt. lib. 4. cap. 29. pag. 445.

Antoninum & filium ejus Commodum) in ſummi imperii (*quod notandum eſt*) Majeſtate adeò conjunctis animis orbem gubernatis, ut inde cœleſtis etiam regni contemplationem clarius (*in ſimilitudine nimirùm & aliquâ imagine*) animo quis complecti queat. ' Ut vobis enim Patri & Filio ' in poteſtate ſunt omnia- ſic uni Deo & Fi- ' lio ejus, hoc eſt, verbo inſeparabili, omnia ' ſubjecta ſunt.

Verbum à Patre inſeparabile eſt. Ergo conſubſtantiale.

Ib. pag. 27.

Poſt haud pauca hæc invenias maximè obſervanda. 'Quippe ut Deum aſſerimus '(*inquit*) & Filium ipſius Verbum & Spiri- ' tum S. ἑνȣμένα μὲν κτ δύναμιν, unita quidem ' ſecundum potentiam, *Patrem, Filium, &* ' *Spiritum.* Filius enim Patris mens eſt, ver- ' bum & ſapientia, ἀπόῤῥοια, effluxus, ut lu- ' men de igne profluit.

Lumen de lumine.

Ib. pag. 34.

Tandem Epilogum addens in hunc modum concludit. 'Quantum igitur in me 'fuit, etſi non pro dignitate rei, demonſtra- ' tum eſt nequaquam nos eſſe à Deo alienos ' ἀθεὺς *ſeu atheos*, qui univerſitatis hujus opi- ' ficem, ſimulque ejus Verbum ſeu verum ' Deum veneramur.

Ex his manifeſtiſſimè conſtat Athenagoram, cum primitivis quorum cauſam agit Chriſtianis; *Unitatem in Trinitate & Trinitatem in unitate* (ſecundum Athanaſii fidem & Symbolum, poſtmodùm collectum) coluiſſe, eundemque non ſine ſummâ injuriâ Sandium cum Petavio Jeſuita & Huetio Arianis aſſociâſſe.

Vide Sandium de Scriptor. Eccleſ. in Athenagora.

CAP.

CAP. IV.

IRENÆUS.

CAuſam Chriſti contra hæreſes jam agat antiquæ fidei canitie venerandus Irenæus. Vir Hieronymo & Theodoreto Apoſtolicus, Polycarpi Auditor, qui Apoſtolicam nobis fidem commendans in hunc modum deſcribit. Hieron. Epiſt. 29.

'Eccleſia per univerſum orbem uſque ad 'fines terræ ſeminata ab Apoſtolis & à Diſ'cipulis eorum accepit eam fidem quæ eſt in 'unum Deum Patrem omnipotentem, &c. '& in unum Jeſum Chriſtum Filium Dei 'incarnatum pro ſalute noſtrâ, & in Spiri'tum S. qui per Prophetas prædicavit diſpo'ſitiones & adventum, (*ejus*) & eam quæ 'eſt ex Virgine generationem,& Paſſionem, '& Reſurrectionem à mortuis, & in carne in 'cœlos aſcenſionem, & de cœlis in gloria 'Patris adventum--ad reſuſcitandam omnem 'carnem humani generis, *ut Chriſto Jeſu Do'mino noſtro & Deo* -omne genu curvetur. 'Hanc fidem (*inquit*) Eccleſia in univerſum 'mundum diſſeminata diligenter cuſtodit, 'quaſi unam domum inhabitans, & ſimili'ter credit his, quaſi unam habens animam '& unum cor, & conſonanter hæc prædi'cat, docet & tradit, quaſi unum poſſidens os. Obmuteſcant igitur Hæretici omnes Chriſto ut Deo genu minimè flectentes, & Spiritum

Lib. I. adv. Hareſes; cap. 2.

Falſo igitur aſſeritur in nupera editione p. 91. Sandius nihil hic extare de Filii Deitate.

S,

S. blaſphemantes, *per quos*, ut infra ait, *o-* Ib. pag. 19.
mnia agit & regit Deus Pater.

Lib. 2. cap. 3. Alibi probat Deum non indigere Angelis, aut aliis miniſtris ſeu inſtrumentis ad conditionem eorum quæ fiunt, aſſerens quod 'Ido-' neus & ſufficiens eſt ad formationem o-' mnium, Proprium ejus Verbum, uti Joan-' nes ait, *Omnia per ipſum facta ſunt*. Scriptu-' ra Geneſeos dicit omnia quæ ſunt feciſſe ' Deum per Verbum ſuum. Similiter David, ' *Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, &c.* ſcil. per ' Verbum. Sed planius alio in loco æternam & ſubſiſtentem non prolatitiam hujuſce Verbi naturam prædicat. Qui, ait 'Deum eſſe to-' tum Verbum & Verbum eſſe νȣ̃ν, minùs ' quidem adhuc de Patre omnium ſentiet. ' Decentiora autem magis quàm *hi qui latio-' nem prolativi hominum verbi* transferunt in ' Dei etiam æternum Verbum, & prolationis ' initium & geneſin, quemadmodum & ſuum ' Verbum: Et in quo diſtabit Dei Verbum, ' imò magis ipſe Deus, (*inquit*) à verbo Ho-' minum, ſi eandem habuerit ordinationem ' & emiſſionem generationis?

Chriſtus omnipotens non ſimplex Miniſter Patris.
Joan. 1. 3.
Pſal. 33. 9.
Ibid. cap. 18.
Chriſtus non eſt verbum prolatitium. Sine initio.
Chriſtus Deus.

Hæc Irenæus Valentinianorum Hæreticorum νȣ̃ν & λόγον ſugillans, &c. De quibus alibi ait, ' non ſolum in fabricatorem δημιȣργὸν irre-' ligioſi ſunt, ſed & in Chriſtum, & in Spi-' ritum S.

Lib. 2. c. 35.
Trinitas.

Alibi hæc invenire eſt minimè negligenda. *Nomen Jeſus--ſignificat Dominum qui continet cœlum & terram.* Qui vero continet cœlum & terram veriſſimè Deus eſt. Unde

Lib. 2. c. 41.

colligas

colligas Chriſtum Deum eſſe immenſæ infinitæque naturæ.

In eodem libro alio in loco Hæreticorum de ſcientiâ ſuâ falſo glorantium, h. e. Gnoſticorum, arrogantiam retundens hæc habet maximè notanda. ‘Non infectus es, ô homo! neq; ſemper cum Deo coexiſtebas, ſicut proximum ejus Verbum. Chriſtus igitur, ſeu Verbum infectum eſt & Deo coæternum, ſemper cum Patre coexiſtens; quæ Arianiſmi jugulum petunt; non enim erat quando non erat qui infectus cum Deo ſemper erat.

Ib. cap. 43. & 56.
Idem repetit lib. 3. cap. 8.

Alibi Valentinianorum Hæreticorum προβολὴν ſeu emiſſionem τοῦ λόγου perſtringens hæc ſcribit. ‘Non magnum quid invenêrunt neq; ‘abſconditum myſterium; ſi id quod ab hominibus intelligitur tranſtulerunt in unigenitum Dei Verbum, & narrationis ejus prolationem & generationem annunciant aſſimilantes eum hominum verbo.

Chriſtus non eſt λόγος προφορικὸς ſed οὐσιώδης ut Ignatius, ſupra.

Nec illa prætereunda ſunt. *Scripturæ perfectæ ſunt quippe à Verbo Dei & Spiritu ejus dictæ.* Cùm autem Scripturæ divinæ authoritatis ſint, planè ſequitur, Filium & Spiritum à quibus dictæ ſunt Deum eſſe.

Ib. cap. 47.

Pulchrè obſervat venerandus Senex quod in Scripturis nemo alius Deus nominatur niſi ſolus verus Deus Pater & Verbum ejus, ‘Neque Dominus (*inquit*) neque Spiritus ‘S. neque Apoſtoli eum qui non eſſet verus ‘Deus abſolutè Deum nominâſſent, neque ‘Dominum appellâſſent aliquem ex ſuâ perſonâ niſi qui dominator omnium, Deum

Lib. 3. cap. 6. quod repetit cap. 9.
Filius verus cum Patre & abſolute Deus.

Vid. lib. 4. cap. 1. ‘ Patrem & Filium ejus, qui dominium acce-
‘ pit à Patre ſuo (Dominium autem intel-
ligit mediatorium & temporale, uti quæ
immediatè ſequuntur clarè ſatis indicant)
‘ ut habet illud ; *Dixit Dominus Domino meo,*
Pſal. 110. ‘ *ſede à dextris meis donec ponam*, &c Verè
‘ igitur cùm Pater ſit Dominus, & Filius
‘ verè ſit Dominus, meritò (*inquit*) Spiri-
‘ tus S. Domini appellatione ſignavit eos. Id
ipſum probat ex illis verbis ſupra à Juſtino
Gen. 19. 14. M. allatis. *Et pluit Dominus à Domino*, Fi-
lium enim hic ſignificat, qui & Abrahæ col-
Pſal. 45. locutus eſt. Similiter ex iis ‘ *Unxit te Deus*
‘ *Deus tuus*, &c. Utroſq; (*inquit Irenæus*)
Pater & Filius uterque Deus à Spiritu appellatur. ‘ Dei appellatione ſignificavit Spiritus, &
‘ eum qui ungitur, Filium, & eum qui un-
‘ git, Patrem. Iterum dicit Scriptura; *Deus*
‘ *Deorum Dominus locutus eſt*, &c. Quis Deus?
Pſal. 50. 1. ‘ De quo dixit Deus, *Manifeſtè veniet Deus*
‘ *noſter*, h. e. Filius. Quorum autem Deo-
‘ rum? Quibus dicit, *Ego dixi, Dii eſtis, &*
‘ *Filii altiſſimi.* Hi ſcil. qui adoptionis gra-
‘ tiam adepti ſunt. Ex his liquet Chriſtum
non ſolâ adoptionis gratia vel dominii au-
thoritate, Dominum Deum & Dei Filium
inter alios multos nominari, ſed propriè,
ſimpliciter & abſolutè tanquam unigenitum
& naturalem Dei Filium. ‘ Cum enim (*ut*
‘ *egregiè ſubnectit*) Scriptura eos qui non ſunt
‘ Dii nominat, non in totum oſtendit illos
‘ Deos, ſed cum aliquo additamento & ſi-
‘ gnificatione, per quam oſtenduntur non eſſe
Pſal. 96. 5. ‘ Dii, ut apud David, *Dii Gentium Idola, &*
Deos

'*Deos alienos non ſectabimini.* Ex hoc enim 'quod dicit Gentium--& alienos nominans 'eos, abſtulit quod ſint Dii.

Poſt pauca hiſce verbis Deum orat. 'Ego 'te invoco, Domine Deus, &c. ſuper quem 'non eſt alius Deus, præter Dominum no- 'ſtrum Jeſum Chriſtum, dominatione quoq; 'dominaris Spiritus S. &c. da omni legenti, '&c. Hic Trinitas ab Irenæo agnoſcitur, Pater, Filius & Spiritus S.

Ibid.

Super hic idem ſonat ac Præter, ut Juſtino ὑπὲρ & παρὰ in Dial. æquivalent.

Alibi, quanquam perplexius & obſcurius inſinuare nonnunquam videatur ſolum Patrem eſſe Deum, ibidem tamen diſertè ſcribit, 'Prophetis & Apoſtolis Patrem & Fi- 'lium confitentibus alterum neminem neque 'Deum nominantibus, nec Dominum con- 'fitentibus. Hinc rectiſſimè colligas prædicationem unius Dei Patris minimè excludere Filium, & pari ratione Spiritum S. quem Deum eſſe Irenæus clariſſimè confitetur, ut vidimus, & deinceps viſuri ſumus.

Cap. 9.

Quod Filium ſpectat, capite proximè ſequente, declarat, 'Magos à ſtellâ ad Emma- 'nuel quod eſt interpretatum, Deus nobiſ- 'cum (*ut ſupra notaverat*) deductos, per ea 'quæ obtulerunt munera oſtendiſſe quis erat 'qui adorabatur. *Myrrham* offerunt, quia 'homo ſepeliendus. *Aurum*, quia Rex. *Thus* 'verò, quia Deus erat,--ſecundum id quod 'homo erat *Verbum* Dei, erat *ex radice Jeſſe*, '& *Filius Abrahæ:* ſecundùm hoc requieſce- 'bat Spiritus Dei ſuper eum & ungebatur ad 'evangelizandum hominibus. Secundùm

Chriſtus Deus & homo.

'autem quod Deus erat---non opus erat illi 'ut quis ei teſtimonium diceret de homine, 'cùm ipſe *ſciret quid eſſet in homine.*

Joan. 2. 25.

Cap. 18.

Alio in capite de Chriſto verba faciens, 'Hic eſt (*inquit*) Emmanuel, nè fortè tan- 'tùm eum hominem putaremus. Quibus ſta- tim addit ex Paulo ad Romanos, *Quorum Patres & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt Deus ſuper omnes, benedictus in ſæcula* (uti nos jam legimus) apertiſſimum graviſſimumque teſtimonium.

Rom. 9. 5.

Chriſtus Deus ſuper omnes.

Cap. 20.

Alibi, poſtquam Verbum carnem eſſe fa- ctum oſtendiſſet, annectit, *Non tunc cœpit Filius Dei exiſtens ſemper apud Patrem*, &c. In quem ſenſum in initio capitis interpreta- tus illa Joannis, '*In principio erat Verbum ex- 'iſtens apud Deum*---& ſemper aderat generi 'humano; hunc noviſſimis temporibus--uni- 'tum ſuo plaſmati paſſibilem hominem fa- 'ctum. Quod ipſum poſt nonnulla clariùs explicat. 'Oportuerat Mediatori Dei & ho- 'minum per ſuam ad utroſque domeſticita- 'tem in amicitiam & concordiam utroſque 'reducere, & facere ut Deus aſſumeret homi- 'nem, & homo ſe dederet Deo. Chriſtus igi- tur, ſecundùm Irenæi fidem, propter domeſti- citatem ut homini ſic Deo reverà conſubſtan- tialis eſt, ante incarnationem ſemper exiſtens apud Patrem.

Chriſtus ab æterno cum Deo, juxta Joan. 1. 1.

V. cap. 22.

Proximo capite redarguit eos qui dicunt Chriſtum eſſe ex Joſeph generatum, & nudè tantùm hominem fuiſſe, ignorantes eum qui ex Virgine eſt Emmanuel, h. e. Deus no- biſcum,

Vid. cap. 26.

biſcum, Deus & Rex æternus, & unigenitus à Prophetis, & Apoſtolis & Spiritu ipſo prædicatus; 'Hoc autem (*inquit*) non teſtificaretur ſcriptura de eo, ſi ſimiliter ut omnes, 'homo tantùm fuiſſet. Sed quoniam præclaram præter omnes habuit in ſe eam quæ 'eſt ab altiſſimo Patre genituram, præclarâ 'autem functus eſt & eâ quæ eſt ex Virgine 'generatione, utramque Scripturæ Sacræ de 'eo teſtificantur. Ubi præter generationem ex Virgine, Chriſti ut unigeniti Dei Filii & Dei præclaram ſupra omnes ex altiſſimo Patre genituram legimus, nuſpiam autem apud Irenæum facturam aut creationem.

Chriſtus non eſt Ψιλὸς ἄνθρωπος.

Quibus illa concinunt, 'Hic (h. e. *Chriſtianus*) tenens ſine jactantiâ veram gloriam de his quæ facta ſunt & de eo qui fecit, qui eſt potentiſſimus omnium Deus, '(*nimirum Verbum Dei à quo omnia facta ſunt*) 'majorem ab eo gloriam accipiet, dum conſimilis fiat ejus qui pro eo mortuus eſt.

Cap. 22.

Chriſtus eſt potentiſſimus Deus.

Alio in loco hæc habet minimè omittenda. 'Habacuc Propheta ait, *Deus ab Africo veniet*, &c. manifeſtè ſignificans quoniam '(*vel quòd*) Deus eſt Chriſtus, & in Bethlem 'adventus ejus.

Cap. 23.
Hab. 3. 2.

Illa inſuper obſerventur in Iſaiæ locum. 'Ecce *Virgo concipiet*, &c. Diligenter (*inquit* '*Irenæus*) ſignificavit Sanctus Spiritus per ea 'quæ dicta ſunt generationem ejus ex Virgine, & ſubſtantiam quoniam (*vel quòd*) 'Deus eſt. Emmanuel enim nomen hoc ſignificat. *Et poſt pauca.* Quod autem non

Cap. 26.
Iſai 7. 14.

'conſentiet nequitiæ ut eligat bonum, pro-'prium hoc eſt Dei.

Lib. 3. cap. 31. Nec illa tranſcribere piget. 'Protoplaſtus 'Adam--plaſmatus eſt manu Dei, id eſt, 'Verbo Dei : omnia enim per ipſum facta 'ſunt, & ſumpſit Dominus (i. e. *Chriſtus*) li-'mum de terrâ & plaſmavit hominem. Hinc planiſſimè conſtat juxta Irenæum Verbum fuiſſe Dominum Deum Adami plaſmatorem.

In Prolog. in lib. 4. Annotandum autem eſt cum S. Irenæo etiam Valentinianos Hæreticos Patrem, & Filium, & Spiritum S. ſenſu quodam, i. e. ſuo & blaſphemo agnoviſſe, 'Fabricatorem enim (ſc. *Patrem*) 'ex labe, ſive defectione emiſſum eſſe dixe-'runt, & ſimiliter Chriſtum & Spiritum S. 'propter labem emiſſum docuerunt. Ibidem poſt pauca hæc habet venerandus Confeſſor. 'Homo per manus Dei plaſmatus eſt, hoc eſt '(*inquit*) per Filium & Spiritum, quibus & 'dixit, *Faciamus hominem*, &c. Ubi animadvertas hæc à Patre non tantum Filio, verùm etiam Spiritui S. dicta fuiſſe. Unde conſequitur Spiritum S. non minùs perſonam eſſe quàm Filium.

V. Epiphan. & Auguſtin. de Hæreſi Simonian.

Filius & Spiritus Dei manus.

Nec illa tranſcribere gravabor notatu digniſſima. 'Omnia menſurâ & ordine Deus 'facit, & nihil non menſum apud eum--Et 'benè qui (vel *quidam*) dixit , ipſum im-'menſum Patrem in Filio menſuratum. Men-'ſura enim Patris Filius, quoniam & capit 'eum. Eſt igitur Filius, cùm immenſi Patris menſura ſit, eumque capiat, eidem eſſentiâ coæqualis ſeu conſubſtantialis , & æquè immenſus.

Ibid. lib. 4. cap. 8.

Filius immenſus & Patri coæqualis.

Alio

Alio in capite pluribus probat, Juſtini veſtigiis inſiſtens eum qui de rubo Moſi locutus eſt fuiſſe Deum viventium, Deum Patrum, Deum ſuper omnia. 'Quis enim (*inquit*) eſt 'vivorum Deus niſi qui eſt ſuper omnia 'Deus, & ſuper quem alius non eſt Deus?--qui 'igitur à Prophetis adorabatur Deus vivus 'hic eſt, vivorum Deus, & Verbum ejus, qui '& locutus eſt Moſi qui & Saducæos redar'guit.—Si enim Deus mortuorum non eſt 'ſed vivorum, hic autem (ſc. *Chriſtus*) dor'mientium Patrum Deus eſt dictus, indubi'tatè vivunt Deo, & non perierunt, cùm 'ſint Filii reſurrectionis. Reſurrectio autem 'ipſe Dominus eſt, quemadmodum ipſe ait, '*Ego ſum Reſurrectio & vita.* Patres autem 'ejus Filii; dictum eſt enim à Prophetâ, '*Pro Patribus tuis facti ſunt tibi Filii tui.* Ipſe 'igitur Chriſtus cum Patre vivorum eſt 'Deus, qui & locutus eſt Moſi, & Patribus 'manifeſtatus eſt. Hactenus Irenæus.

Ib. cap. 11.

Chriſtus eſt ſuper omnia Deus. Rom. 9. 5.

Math. 22.32. Chriſtus Patriarcharum Deus, ſeu Deus Iſraelis.

Pſal. 45. 16. exponitur.

Hinc clariſſimè conſtat juxta Irenæi doctrinam Chriſtum cum Patre unum eundemque eſſe Deum ſuper omnia, Patriarcharum ſive Patrum Deum, cujus Filii erant Abram, Iſaac & Jacob.

Alibi poſt nonnulla aſſerit Abram, Moſen & Prophetas in Chriſtum crediddiſſe; & capite proximo Chriſtum vindicâſſe ſuam domum. 'Quam cauſam (*inquit*) habuit Chri'ſtus domum ſuam vindicare? Ubi animadvertere licet, templum Dei Patris Hieroſolymitanum fuiſſe & Chriſti, ut Dei, Domum.

Lib. 4. cap. 4. Patriarchæ in Chriſtum crediderunt. Ibid. cap. 5.

Ib. cap. 13. Spiritus S. omnipotens. Alio in loco diſſerit 'Spiritum S. in reſurrectione vivificare mortuorum corpora ut 'jam animas. Undè rectè inferas Spiritum S. eſſe Deum omnipotentem.

Ib. cap. 14. Poſt nonnulla de Chriſto Domino ità ſcribit; 'Ab omnibus accipit teſtimonium 'quoniam (h. e. *quòd*) verè homo, eſt verè 'Deus; à Patre, à Spiritu, ab Angelis, &c. 'unus Deus Pater, unum Verbum, & unus 'Filius, & unus Spiritus, & una fides.

Ib. cap. 17. Iterum alibi. 'Miniſtrat illi (ſcil. *Deo Pa-* '*tri*) ad omnia ſua progenies & figuratio ſua 'id eſt, (*ut ſeipſum explicat*) Filius & Spiritus.

Lib. 4. cap. 23. Joan. 5. Chriſtus ante incarnationem. Nec illa neglectui habenda ſunt. 'Benè '& Joannes meminit dicentem Deum (h. e. '*Chriſtum*) Judæis, *Scrutamini ſcripturas*, '---Inſeminatus eſt ubique in ſcripturis ejus 'Filius Dei; aliquando cum Abrahamo lo- 'quens, aliquando cum eodem comeſurus, 'aliquando Sodomitis inducens judicium, in 'viam dirigit Jacob, in rubo loquitur cum 'Moſe.

Ib. cap. 26. & 17. Exod. 3. 7. Chriſtus Deus Iſraelis. Alio in loco ſimiliter. 'Chriſtus erat qui 'dixit Moſi, *Videns vidi vexationem populi mei* '*& deſcendi ut eruam eos*. Ab initio aſſuetum 'eſt Verbum Dei aſcendere & deſcendere 'propter ſalutem eorum qui malè ſe habue- 'runt; hic autem (*inquit*) de ſe pronunciat, Ib. V. 6. '*Ego ſum Deus Patrum tuorum Abraham, Iſaac* '*& Jacob*.

Ib. cap. 28. Chriſtus ante omnem crea- Nec illa prætermittenda puto, 'Non ſo- 'lum ante Adam, ſed & ante omnem con- 'ditionem (i. e. *creationem*) glorificabat

Verbum

'Verbum Patrem, manens in eo, & ipſe in 'Patre glorificabatur, quemadmodum ipſe 'ait, *Pater clarifica me*, &c. — tionem. Non eſt ergo creatus. Joan. 17.

Alibi hæc habet maximoperè notanda: 'Angeli non potuerunt imaginem Dei fa- 'cere, nec alius quis præter Verbum Domi- 'ni --nec enim horum indigebat Deus quaſi 'ipſe ſuas non haberet manus. Adeſt enim 'ei ſemper Verbum & Sapientia, Filius & 'Spiritus,per quos, & in quibus omnia liberè 'fecit: ad quos & loquitur dicens, *Faciamus* '*hominem ad imaginem noſtram.* Quibus ſubjungit. 'Et quoniam(h. e. *quòd*) Verbum, id 'eſt, Filius ſemper cum Patre erat per multa 'demonſtravimus. Quoniam & ſapientia, 'quæ eſt Spiritus, erat apud Deum ante o- 'mnem conſtitutionem (h. e. *mundi creatio-* '*nem*) per Solomonem ait, *Deus ſapientiâ* '*fundavit terram* &c. Et rurſum, *Dominus* '*creavit me principium viarum ſuarum, in opera* '*ſua ante ſæcula fundavit me*, &c. Hic diligenter advertendum eſt Irenæum ex loco illo Solomonis apud Arianos poſtmodum decantatiſſimo, ſcil. *Dominus creavit me*, &c. non modò Verbi Dei ante, vel (ita loqui liceat) paulò ante creationem, exiſtentiam inferre, ſed inſuper ejus æternam vel ſempiternam ſubſiſtentiam confirmare, nec mirum: ſtatim enim ſequitur, *Exaltata eram ab æterno, ab initio antequam terra eſſet.* Idem igitur ſecundum Scripturam valent, ante terram & ab æterno eſſe.

Ib. cap. 37.
Gen. 1. 28.
Filius ſemper cum Patre erat, ut ejus Sapientia.
Prov. 8. 22.
Vide Athenagoram ſupra pag. 26.
Prov. 8. 23.

Alibi Ebionitas Hæreticos perſtringens in hunc — Ib. cap. 59.

hunc modum arguit, 'Quomodo poſſunt 'ſalvari, niſi Deus eſt qui ſalutem illorum 'ſuper terram operatus eſt? Et quomodo 'homo tranſiet in Deum, ſi non Deus in ho-'minem? --- Quomodo autem plus quàm 'Solomon, aut plus quam Jonas habebat, '& Dominus erat Davidis qui ejuſdem 'cum ipſis fuit ſubſtantiæ; h. e. ſi tantùm & nudè homo Chriſtus fuiſſet, ut Ebion blaſphemabat. Perpendant hæc Ebionis ſequaces qui Chriſtum Dominum ſubſtantiâ non Deum ſed nudum hominem, ſanctum licèt, eſſe affirmare præſumunt. Quomodo poſſunt ſalvari?

Matth. 12. 41. Chriſtus pluſquam homo, ſanctus licet.

Cap. 75. Trinitas.

Nec illa prætermittere fas eſt: 'Plaſmatus eſt homo ſecundum imaginem infecti 'Dei; Patre quidem benè ſentiente, Filio 'verò miniſtrante, Spiritu verò nutriente & 'augente.

Lib. 5. p. 455. Edit. Eraſmi. Cap. 12. juxta Edit. Feuardentii. Spiritus S. ſempiternus.

Libro proximo poſtquam verba Eſaiæ cap. 42. 5. *Spiritus à me exiet, & flatum omnem ego feci*, Præclarè diſtinguit inter Spiritum & afflatum. 'Afflatus (*inquit*) temporalis eſt. Spiritus autem ſempiternus. 'Et afflatus quidem auctus ad modicum, '& tempore aliquo manens deinde abiit, 'ſine ſpiramento relinquens illud in quo 'fuit ante. Spiritus autem circumdans intus '& foris hominem, quippe ſemper perſeverans, nunquam relinquens eum.

Spiritus nunquam relinquit hominem.

Lib. 5. cap. 15. juxta Feuard.

Illa inſuper diligenti animadverſione digna ſunt: 'Dominus manifeſtiſſimè ſe & Patrem oſtendit Diſcipulis ſuis, ſcil. ne quæ-

'rerent alium Deum præter eum qui plaſma-
'verat hominem. *Quibus ſtatim adjicit*, Do-
'minus (i. e. *Chriſtus*) ei qui cæcus erat à
'nativitate non per ſermonem ſed per ope-
'rationem præſtitit viſum (h. e. *limum tra-*
'*ctando, & oculos ejus liniendo*) --- ut oſten-
'deret manum Dei eam quæ ab initio plaſ-
'mavit hominem. Hæc manus (*ut poſtea di-*
'*ſertè ait*) erat manus Chriſti: dicit enim
'ſcriptura, *Et ſumpſit Dominus limum de ter-*
'*ra & plaſmavit hominem.* Quapropter Do-
'minus expuit in terram & fecit lutum, &c.
'oſtendens antiquam plaſmationem quomo-
'do facta eſt, & manum Dei per quam è li-
'mo plaſmatus eſt homo, &c.

Chriſtus ſolus verus Deus cum Patre.

Joan. 9.

Chriſtus manu ſua plaſmavit hominem ex luto. Vide Clem. Alex. infra pag. 47. idem aſſerentem.

Illa etiam accuratius animadvertenda arbitror: 'Peccata remittens Chriſtus mani-
'feſtè oſtendit quis eſſet: (h. e. *Deus.*) Si
'enim nemo poteſt remittere peccata niſi ſo-
'lus Deus; remittebat autem hæc Dominus;
'manifeſtum eſt quoniam ipſe erat Verbum
'Dei Filius hominis factus à Patre poteſta-
'tem accipiens quomodo homo, & quomo-
'do Deus. Compaſſus eſt nobis quomodo
'homo, tanquam Deus miſereatur noſtri, &
'remittat nobis debita noſtra quæ Factori
'noſtro debemus Deo.

Lib. 5. pag. 469 Eraſm. Juxta Feuardent. cap. 17. Solus Deus remittere poteſt peccata.

Scil. quia Deus ex Deo Patre ut Tert. cont. Prax.

Poſt nonnulla hæc habemus: 'Super o-
'mnia Pater, & ipſe eſt caput Chriſti. Per
'omnia Verbum, & ipſe caput eſt Eccleſiæ.
'In omnibus nobis Spiritus. Verbum igitur,
& ſimiliter Spiritus S. cum Patre, immenſus
& ubique præſens eſt. Pater ſuper omnia,

Ibid. pag. 471. Eraſm. juxta Feuard. cap. 18.

'Chriſtus

Chriſtus per omnia, Spiritus in omnibus. Hæc ex S. Irenæo delibavimus, qui cum Ignatio Verbi Filii Dei cum Patre æternam coexiſtentiam, uti Juſtinus M. à Patre in eâdem deitate diſtinctam ſubſiſtentiam, clariſſimè docuit.

CAP. V.

THEOPHILUS ANTIOCHENUS.

Lib. 2. ad Autolycum p.88. Edit. Pariſ. ad calcem Juſtini M.
Pag. 94.
Pſal. 90. 2.
Eph. 1. 4.
Matth. 25. 24.
Prov. 8. 25.
Similiter Origenes infra argumentatur & ſupra Athenagoras.

INter Doctiſſimos hoſce Patres ſuffragium ferat Theophilus Patriarcha Antiochenus. ‘ Deus (*inquit*) habens ſuum Sermonem, ‘ λέγον ἐνδιάθετον ſeu Verbum internum in ‘ ſuis viſceribus, genuit eum, cùm eum pro‘ duceret cum ſapientiâ ſuâ (h. e. *Spiritu S.* ‘ *ut infra ipſe ſcipſum interpretatur*) ante hæc ‘ univerſa, Scil. ab æterno: Quod enim ante mundi creationem eſt, apud S. Scripturam æternum audit. Quis enim obſecro, niſi ineptus planè & blaſphemus, tempus aliquod, vel imaginariùm ſomniaverit, quo Deus Opt. Max. ſapientiâ ſuâ, vel λόγῳ ἐνδιαθέτῳ, h. e. Ratione ſeu mente caruerit, aut ex nihilo creaverit, ut Ariani poſtmodùm docuerunt?

Chriſtus eſt Dei Spiritus, Sapientia, Potentia, eſt igitur æternus

Pergit Theophilus. ‘ Hoc ſermone λόγῳ ‘ ſeu ratione, Deus uſus eſt in mundi creatio‘ ne, & omnia quæ condidit per ipſum fecit. ‘ Hic principium ἀρχὴ dicitur omnium, quia ‘ ἀρχει omnia regit---Hic igitur exiſtens Spi‘ ritus Dei principium & Sapientia, Altiſſi‘ mique

'mique potentia deſcendit in Prophetas, per 'quos ſeu organa, de mundi creatione locutus 'eſt. Non enim erant Prophetæ cùm mundus 'crearetur, ſed Sapientia Dei quæ in ipſo eſt, '(adde *ab æterno*) Sermoque ejus ſanctus, 'ſemper præſto erat, quapropter per Solomo-'nem Prophetam ſic fatur, *Cum ipſe prępara-*'*ret cœlos, aderam,* &c. Animadvertas inte-rim nec Solomonem nec Theophilum dicere Dei Sapientiam & Sermonem ullo tempore aut unquam eidem non adeſſe vel adfuiſſe. Memineris etiam S. Irenæum paulò ſuperius necnon Athenagoram ex hoc ipſo Solomonis loco Verbi cum Patre æternam ſeu ſempiternam coexiſtentiam demonſtrâſſe. Prov. 8. 28.

Hiſce ſtatim addit Theophilus: 'Ut con-'ſtaret Deum Sermone ſuo creâſſe cœlum & 'terram, ſcriptum eſt, *In principio creavit Deus* '*cœlum & terram,* nimirum Verbo ſuo. Ibid. pag. 92. Gen. 1. 1.

Poſt pauca iterum: '*In principio creavit,*&c. 'id eſt, per principium διὰ τῆς ἀρχῆς conditum 'eſt cœlum, ut ſupra edocuimus, h. e. per Verbum. Gen. 1. 1.

Nec illa prætermittere fas eſt: 'Tres dies 'qui præceſſere creationem duorum lumina-'rium Trinitatis myſterium Sacro-Sanctum 'repræſentat; videlicet Deum, Sermonem, 'Sapientiam. Per Deum abſolutè poſitum Patrem intelligas, per Sermonem ſeu λόγον, Filium, per Sapientiam, Spiritum S. Ib. pag. 94. Trinitas.

Quibus & illa conſona ſunt: 'Hæc verba, '*Faciamus hominem,* &c. videtur Deus pro-'ferre quaſi auxilio aliquo egeat. At ad ne-minem Gen. 1. 26. Trinitas.

'minem alium quàm ad ſuum Sermonem 'Sapientiamque direxit, h. e. *ad Filium & 'Spiritum S.*

Ib. p. 100.

Poſt nonnulla hæc habet maximè notanda: 'Deus univerſorum Pater loco nec includi-'tur, neque in loco invenitur. ---Cæterùm 'ſermo ejus, per quem omnia creavit exiſtens 'potentia & Sapientia Patris, aſſumit τὸ πρό-'σωπον Patris, & Domini univerſorum (*ni-'mirùm ratione viſibilis ſeu corporeæ alicujus fi-'guræ aſſumptæ*) is venit in paradiſum ſub 'perſona Dei, & colloquebatur (*corpore* ſcil. '*aſſumpto*) cum Adamo. Siquidem Scriptura 'diſertè ponit Adamum dixiſſe, *Vocem tuam 'audivi.* At vocem quid aliud dixeris quàm 'Sermonem Dei, qui ejus Filius eſt? Nec 'arbitreris, (*inquit*) ut poetæ fabula-'rum ſcriptores perhibent, Dei Filios ex 'concubitu natos eſſe, ſed intellige hoc 'loco enarrari Sermonem τὸν λόγον perpetuò 'διὰ παντὸς exiſtentem & inſitum ἐνδιάθετον 'in corde Dei Patris. Antequam enim quic-'quam eorum quæ facta ſunt fieret, hunc 'conſiliarium habuit (*quiſquamne obſecro ex 'creatis Dei conſiliarius erat?*) ut qui mens & 'prudentia ejus foret.

Perſona Verbi non genita ſed aſſumpta loco includitur, videtur, &c.

Gen. 3. 10.

Verbum ſempiternum eſt.

Hæc Arium transfigunt Verbi ſeu Filii Dei æternitatem blaſphemantem. Mens enim & Sapientia Dei Patris æternæ ſunt, eique conſubſtantialiter inſunt; nec factæ unquam nec creatæ. Verbum ſeu Dei Filius eſt ejus mens ſeu Sapientia, ergo non modo ante mundi creationem ſed æternùm extitit.

Per-

Pergamus cum Theophilo noſtro, quem ſibimetipſi eodem penè ſpiritu contradixiſſe haud facilè credas. ‘Cum verò (*inquit*) jam ‘condere quæ deliberaverat inſtituiſſet Deus, ‘hunc ſermonem genuit prolatum, τοῦτον τὸν ‘λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, primogenitum uni-‘verſæ creaturæ, nec interim Deus exinani-‘tus eſt Sermone λόγῳ ſeu ratione Sermonem ‘λόγον gignens, & Sermone alloquens quæ vo-‘lebat ſemper. Hæc nos docent S. Literæ, & ‘omnes ſancto afflati Spiritu, quorum de nu-‘mero eſt Joannes ad hunc modum diſſerens, ‘*In principio erat Sermo & Sermo erat apud* ‘*Deum*, &c. ſignificans in principio ſolum ‘fuiſſe Deum, & in eo Sermonem. Ubi ad-vertendum eſt Deum ita ante creationem, ſecundum Theophili ſenſum, ſolum fuiſſe, ut in & apud ſe habuerit λόγον Verbum ſeu Ser-monem ſuum.

V. Part. 2.

Joan. 1. 1.

Vid. Tertull. cont. Prax. infra.

Progreditur Antiochenus Antiſtes & Joannem laudans; ‘Poſtea (*inquit*) infert, ‘*Deus erat ille Sermo*, &c. Deus itaque exi-‘ſtens, & ex Deo genitus ἐκ Θεοῦ πεφυκὼς ‘(*quod nota*) quando vult Pater mittit eum ‘Sermonem ad aliquem locum qui adveniens ‘auditur & videtur ab eo miſſus & in loco ‘reperitur. Hæc Theophilus. Si verò Sermo, ut ipſe perhibet, Deus ſit in principio apud Deum, & ex Deo genitus (quod nulli crea-turæ rectè attribuas) neceſſariò ut Deus, non tantùm omnipræſens ſeu immenſus, verùm etiam æternus eſt, exiſtens non modo ante mundi creationem, ſed tempus omne quod vel dicere vel imaginari poteris. Nec

‘minem alium quàm ad ſuum Sermonem
‘Sapientiamque direxit, h. e. *ad Filium &*
‘*Spiritum S.*.

Ib. p. 100. Poſt nonnulla hæc habet maximè notanda:
‘Deus univerſorum Pater loco nec includi-
‘tur, neque in loco invenitur. ---Cæterùm
‘ſermo ejus, per quem omnia creavit exiſtens
‘potentia & Sapientia Patris, aſſumit τὸ πρό-
‘σωπον Patris, & Domini univerſorum (*ni-*
‘*mirùm ratione viſibilis ſeu corporeæ alicujus fi-*
‘*guræ aſſumptæ*) is venit in paradiſum ſub
‘perſona Dei, & colloquebatur (*corpore* ſcil.
‘*aſſumpto*) cum Adamo. Siquidem Scriptura
‘diſertè ponit Adamum dixiſſe, *Vocem tuam*
‘*audivi.* At vocem quid aliud dixeris quàm
‘Sermonem Dei, qui ejus Filius eſt? Nec
‘arbitreris, (*inquit*) ut poetæ fabula-
‘rum ſcriptores perhibent, Dei Filios ex
‘concubitù natos eſſe, ſed intellige hoc
‘loco enarrari Sermonem τὸν λόγον perpetuò
‘διὰ πάντος exiſtentem & inſitum ἐνδιάθετον
‘in corde Dei Patris. Antequam enim quic-
‘quam eorum quæ facta ſunt fieret, hunc
‘conſiliarium habuit (*quiſquamne obſecro ex*
‘*creatis Dei conſiliarius erat?*) ut qui mens &
‘prudentia ejus foret.

Perſona Verbi non genita ſed aſſumpta loco includitur, videtur, &c.

Gen. 3. 10.

Verbum ſempiternum eſt.

Hæc Arium transfigunt Verbi ſeu Filii Dei æternitatem blaſphemantem. Mens enim & Sapientia Dei Patris æternæ ſunt, eique conſubſtantialiter inſunt; nec factæ unquam nec creatæ. Verbum ſeu Dei Filius eſt ejus mens ſeu Sapientia, ergo non modo ante mundi creationem ſed æternùm extitit.

Per-

Pergamus cum Theophilo noſtro, quem ſibimetipſi eodem penè ſpiritu contradixiſſe haud facilè credas. ‘Cum verò (*inquit*) jam ‘condere quæ deliberaverat inſtituiſſet Deus, ‘hunc ſermonem genuit prolatum, τοῦτον τὸν ‘λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, primogenitum uni-‘verſæ creaturæ, nec interim Deus exinani-‘tus eſt Sermone λόγῳ ſeu ratione Sermonem ‘λόγον gignens, & Sermone alloquens quæ vo-‘lebat ſemper. Hæc nos docent S. Literæ, & ‘omnes ſancto afflati Spiritu, quorum de nu-‘mero eſt Joannes ad hunc modum differens, ‘*In principio erat Sermo & Sermo erat apud* ‘*Deum*, &c. ſignificans in principio ſolum ‘fuiſſe Deum, & in eo Sermonem. Ubi ad-vertendum eſt Deum ita ante creationem, ſecundum Theophili ſenſum, ſolum fuiſſe, ut in & apud ſe habuerit λόγον Verbum ſeu Ser-monem ſuum.

V. Part. 2.

Joan. 1. 1.

Vid. Tertull. cont. Prax. infra.

Progreditur Antiochenus Antiſtes & Joannem laudans; ‘Poſtea (*inquit*) infert, ‘*Deus erat ille Sermo*, &c. Deus itaque exi-‘ſtens, & ex Deo genitus ἐκ Θεοῦ πεφυκὼς ‘(*quod nota*) quando vult Pater mittit eum ‘Sermonem ad aliquem locum qui adveniens ‘auditur & videtur ab eo miſſus & in loco ‘reperitur. Hæc Theophilus. Si verò Sermo, ut ipſe perhibet, Deus ſit in principio apud Deum, & ex Deo genitus (quod nulli crea-turæ rectè attribuas) neceſſariò ut Deus, non tantùm omnipræſens ſeu immenſus, verùm etiam æternus eſt, exiſtens non modo ante mundi creationem, ſed tempus omne quod vel dicere vel imaginari poteris.

Nec

Nec illa paulò inferius à Theophilo ſcriptis conſignata omittere fas eſſet, 'Evam
Ib. p. 804. '(*inquit*) ex coſtâ (ſcil. *Adami*) compegit 'Deus, & duos fecit ambos. Simul per hæc, 'quaſi in myſterio, ſuam Monarchiam ſeu 'unitatem demonſtrari voluit, dùm ſimul 'utrumque creat & erunt duo (*dicens*) in 'carnem unam.

Ib. p. 110. De Spiritu verò S. in hunc modum perorat: 'Docemur & inſtruimur à S. Spiritu qui 'locutus per Prophetas jam olim omnia quæ 'mundo eventura eſſent prædemonſtravit. Hæc Spiritum S. perſonam eſſe, eamque omniſciam clarè ſatis denotant.

Spiritus S. perſona omniſcia.

CAP. VI.

CLEMENS ALEXANDRINUS.

Epiſt. ad Magnum.

Protrep. pag. 4. Edit. Pariſien.

SEculum hoc ſecundum claudat Clemens Eccleſiæ Alexandrinæ Presbyter & Hieronymo judice omnium ſuæ ætatis eruditiſſimus. Is in Protreptico ſive admonitione ad Gentes, de Chriſto agens hæc habet: 'Ex 'David ortus eſt, & ante ipſum fuit Dei Ver'bum, cùm hunc mundum atque etiam par'vum mundum, nempe hominem, ejuſque '& animam & corpus Sancto Spiritu concin'naſſet. Pſallit Deo per organum multarum 'vocum, & huic inſtrumento, nempe ho'mini, canit, *Tu es cithara & tibia, & tem'plum.* Hinc colligas Chriſtum Verbum, cum templum

Chriſtus ante Davidem & ex Davide.

Vid. Athanaſ. ad Serapion.

templum habeat, eſſe verum Deum, & eo ſenſu Filium Davidis fuiſſe ut etiam ante eum ſcil. ut Deus, & Pater ejus fuerit. Notandum inſuper Verbum non fuiſſe in creando homine ſimplex aut nudum inſtrumentum, ut Ariani contendunt; cum eum ſibi aſſerat ut *Templum* ſuum, *tibiam*, *citharam*. Effectum autem, ſecundum tritum illud Philoſophorum effatum, neutiquam inſtrumento ſed cauſæ propriè efficienti ſeu principali adſcribendum eſt. Vid. Athanaſ. adv. Serapion. Auguſt. cont. Maximin. Arianum l. 10. cap ult.

Poſt pauca: ‘Meum ſalutare canticum ‘(h. e. *Dei Verbum*) Dominus noſter, ne ita ‘exiſtimes eſſe novum ut vas vel domum. ‘Erat enim ante Luciferum, *Et in principio* ‘*erat Verbum*, &c. Hic ergo Verbum Chri‘ſtus, & ut nos olim eſſemus (*erat enim in* ‘*Deo*) cauſa fuit. Nunc autem apparuit ho‘minibus hic ipſe Verbum, qui ſolus eſt Am‘bo, Deus & homo. *His ſtatim ſubjicit.* Hoc ‘eſt canticum novum adventus Verbi quod ‘erat in principio, & prius erat, τῦ ἐν ἀρχῆ ‘ὄντὸς ϗ προόντος. (Quod quid aliud ſonat quàm ante principium omne quodcunque fuerit, h. e. ab æterno.) ‘Qui nunc & ſemper ‘adhortatur ad ſalutem per prodigia & ſigna ‘in Ægypto, in deſerto, &c. Ipſe eſt Domi‘nus loquens in Eſaiâ, ipſe in Eliâ, ipſe in ore Prophetarum. Ib. pag. 5. Joan. 1. 1. Ib. pag. 6.

Poſt haud pauca Gentiles hoc modo alloquitur. ‘Vos neque ipſi Domino creditis, neque Paulo, & maximè roganti pro Chriſto, *Guſtate & videte quod Chriſtus eſt Deus.* Ib. pag. 56.

Illa etiam notatu non indigna ſunt. ‘Cre-‘de homo homini & Deo. Crede homo ‘Deo viventi, qui paſſus eſt & adoratur. ‘Omnes homines credite ei qui ſolus eſt ‘Deus ex omnibus hominibus.

Chriſtus ſolus Deus & homo.

Hæc autem quàm illuſtria? ‘Verbum di-‘vinum ὁ φανερώτατος ὄντως Θεὸς, revera eſt ‘Deus manifeſtiſſimus, ὁ τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων ‘ἐξισωθεὶς, (*Aperite oculos Arii ſoboles*) qui ‘eſt univerſorum Domino exæquatus, quo-‘niam erat ejus Filius (*naturâ ſcil. non gratiâ* ‘*aut dominio, quæ creaturam univerſorum crea-*‘*tori & Domino neutiquam exæquare poſſunt.*) ‘Et Verbum erat in Deo--Fuit creaturæ ſuæ ‘carne formatus. Hic per univerſam terræ ‘faciem diffunditur, per quem effecta ſunt ‘omnia, pelagus bonorum.

Ibid. pag. 68. Chriſtus Deus eſt manifeſtiſſimus.

Maria Chriſti creatura erat. Chriſtus immenſus eſt.

Tandem Gentilem ità alloquitur. ‘Gu-‘bernabit te Verbum Dei, & ad portum ‘cœlorum te adducet Spiritus S. Ad calcem Chriſtum æternum eſſe palam profitetur. ‘Æternus hic eſt Jeſus. *Et iterum.* Pulcher-‘rimum Patri ſpectaculum Filius æternus. De æterno non ſine blaſphemiâ dicitur, erat quando non erat. Hæc in Protreptico ſuo Clemens.

Ibid. p. 74.

Chriſtus æternus eſt. Vid. Origen. Hom. 1. in Jeremiam.

Plurima habet in eandem ſententiam in libris inſcriptis, *Pædagogus.*

‘Pædagogus noſter, ô vos pueri! Deo ‘Patri ſuo ſimilis eſt, cujus eſt Filius, Deus ‘in figurâ hominis---paternæ voluntati ſer-‘viens. Verbum Deus qui eſt in Patre, qui eſt ‘à dextris Patris, & cum figurâ (h. e. *humanâ* ‘*naturâ*

Pædag. lib. 1. cap. 1.

Chriſtus ut homo Deo Patri ſerviit.

'*naturâ*) Deus eſt. In omnibus prodeſt,& in o- 'mnibus juvat Dominus,& tanquam homo & 'tanquam Deus. Peccata remittens (*Irenæum* '*imitatus*) ut Deus. Ne peccemus autem 'Pædagogi ritu inſtituens.--Alia quidem ſolo 'juſſu fecit, hominem autem per ſe manu 'fabricatus eſt. Cùm igitur ſuprà Verbum Patris voluntati miniſtrâſſe aſſerat; illud non ad divinam ſed aſſumptam in præludium Incarnationis humanam naturam meritò referendum eſt.

Ib. cap. 3.

Chriſtus hominem manu ſuâ fabricavit non ore ſolo. Ita Ignatius ad Magneſian. p. 11. Cod. Medic.

Et poſt pauca. 'Optimus Dux eſt Sermo, 'λόγος, cujus eſt viſus perſpicaciſſimus, & 'qui cordis intima pervidet. Qui verò καρδιογνώστης eſt & hominum corda pervidet, non nomine tantùm ſed ſubſtantiâ Deus eſt, & omniſcius.

Vid. Origen. Hom. 15. in Jerem. Chriſtus eſt Scrutator cordis.

Nec illa omittere fas eſt. 'Iſaac non occi-'ditur: ſignificat Domini Deitatem, Θεότητα. '--Ipſum Dominum Puellum nominat, id 'per Eſaiam prædicens Spiritus, *Ecce Puellus* '*natus eſt nobis.* Per eundem Prophetam nar-'rat ejus magnitudinem. *Admirabilis conſi-*'*liarius, Deus potens, Pater æternus*, &c. O 'magnum Deum! O perfectum Puerum! 'Filius in Patre & Pater in Filio.

Origen. Hom. 15. in Matth. Ib. cap. 5.

Iſai. 9.6.

Quibus illa addas in fine capitis. *Oportet Verbi quod eſt ubique pudore ubique affici.*

Chriſtus ubique eſt.

In ſequente capite hæc occurrunt maximè notanda. 'Sapientes ergo rogemus, Chriſtus 'hodie regeneratus (h. e. *baptizatus: agit* '*enim eo loci de Chriſti baptiſmo in Jordane*) 'jamne eſt perfectus? An quod eſt abſur-

Cap. 6.

'dum, ei aliquid deeſt? Si ita eſt; ut aliquid 'diſceret opus fuit. Jam verò cum Deus 'eſſet, nihil didiciſſe fuit conſentaneum. Cui nihil diſcere opus erat, is omnia novit, etiam ipſum diem judicii. Qui omnia novit erat omniſcius. Omniſcientia autem incommunicabilis Dei proprietas eſt.

Chriſtus omniſcius eſt.

Illa etiam interſerenda ſunt. 'Eſt æterni 'ſervatoris æterna ſalus: cui gratia in ſæ'cula ſæculorum, Amen.

Ibid. Chriſtus æternus.

Ibidem, poſt nonnulla interpoſita. 'O mi'raculum myſticum! Unus eſt univerſorum 'Pater. Unum eſt etiam Verbum univerſo'rum, & Spiritus S. unus, & ipſe eſt ubique. Vide Lector quàm dilucidè Trinitatem agnoſcat Clemens noſter, & Spiritui S. omnipræſentiam, ac proindè immenſam infinitamque naturam adſcribat. Eſt igitur cum Patre & Filio idem ſubſtantiâ ſeu eſſentiâ Deus. Alibi: 'Solus eſt perfectus Pater. *Quid ergo? Filium excludit? Nequaquam. Statim addit.* In ipſo enim Filius, & 'in Filio Pater. *Quibus ſubjungit.* 'Noſter 'Pædagogus ſanctus Deus Jeſus Verbum, 'ipſe benignus, & clemens Deus eſt Pædago'gus. Hic populum Iſraeliticum duxit in 'deſerto; ſeipſum fatetur Pædagogum, cùm 'hoc modo ex perſonâ ſuâ (*non Patris*) ait, '*Ego Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra* '*Egypti.* Is apparuit Abrahæ & dixit, *Ego* '*ſum Deus tuus, gratus eſto coram me.* Cum 'Jacobo colluctatus eſt, cujus nomen inter'rogabat. Adhuc enim erat innominatus

Trinitas.

Spiritus S. ubique eſt.

Cap. 7.

Chriſtus Deus Iſraelis.

Exod. 20.

Gen. 17. 1.

Deus

'Deus Dominus, ut qui nondum homo fa-'ctus fuerat. Vocavit autem Jacob nomen 'loci illius faciem Dei (h. e. *Peniel*) Facies 'autem Dei eſt Verbum (*inquit*) quo Deus 'illuminatur & cognoſcitur.

Illa autem minimè prætermittenda ſunt: 'Nihil odio habet Deus, ſed neque Verbum, '*utrumque enim unum eſt*, nempe Deus ἓν ἄμφω 'Θεὸς, dixit enim, *In principio erat Verbum, & 'Deus erat Verbum*.

Pater & Verbum unum.

Joan. 1, 1.

Nec illa negligenda duco. 'Licet, ſi vul-'tis, ſanctiſſimi Paſtoris & Pædagogi omni-'potentis--ſapientiam ediſcere. *Cui geminum & illud*. 'Reſpexit eos Verbum quod 'vidit omnia, quem latere non poſſunt qui 'nefaria perpetrant. Qui verò omniſcius & omnipotens eſt manifeſtè eſſentiæ divinæ particeps exiſtimandus eſt.

Cap. 8. V. l. 3. c. 6. in fine, & cap. 5. ibid. lib. 3. Pædag. cap. 8.

Verba autem quibus libris ſuis de Pædagogo Epilogum imponit Clemens omittere nefarium eſſet, Trinitatis Sacroſanctæ fidem diſertè adeò teſtantia: 'Quod ergo reſtat 'in tali Verbi celebratione Verbum orabi-'mus, (*nullus autem Clementi præter Deum 'orandus eſt*) Placare tuis, ô Pædagoge pue-'ris. Pater auriga Iſrael, Fili & Pater, unum 'ambo. Domine da nobis--ut ſentiamus 'Deum & Judicem non acerbum. Præſta 'ut cum undas peccati abſque fluctibus 'tranaverimus, tranquilli cum S. Spiritu 'conveniamus, & gratias agamus & laude-'mus unum Patrem & Filium. Filium in-'quam, Pædagogum, & Magiſtrum, unâ cum

Filius & Pater unum ambo ὁμοούσιοι igitur ſunt.

'S. Spiritu,qui unus eſt omnia, in quo omnia, 'per quem omnia unum--cujus ſunt gloria & 'ſecula--cui gloria nunc & in ſecula ſeculo'rum,Amen.His ſubnectit Hymnum Euchariſticum quem Chriſto Pædagogo τῷ διδασκαλικῷ καὶ πανεπισκόπῳ λόγῳ, Verbo docenti & omnia inſpicienti offert.

Πρέπον ἐστὶ δοξάζειν Ἰησοῦν Χριστόν. Ignat. ad Epheſ.pag. 27. Iterum ad Smyr. pag.33. Cod. Medicæi.

Sanè cui offeruntur preces, gratiarum actiones, Hymni, æterna gloria, is verè & propriiſſimè Deus eſt in ſecula benedictus & benedicendus. Sed Patri, Filio & Spiritui S, hæc omnia hic loci à Clemente pari modo exhibentur. Concluſio igitur ſit, ſancta & beata & glorioſa Trinitas, tres perſonæ, unus Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

In prioribus Stromatum libris nihil ad præſens negotium ſpectans legenti mihi contigit obſervare. Hæc interim è cæteris Lectori benevolo propinamus. 'Non erat '(*inquit Clemens*) Chriſto neceſſe Filios 'procreare qui manet in æternum, & natus 'eſt ſolus Dei Filius.

Strom. lib. 3. pag. 446.

Alio in libro. 'Juſtis appropinquat Do'minus & nihil eum latet ex noſtris cogitatio'nibus---Dominum Jeſum dico, qui omni'potenti ſuâ voluntate corda noſtra intuetur. Illuſtriora deſiderare poſſumus Chriſti Deitatis γνωρίσματα & argumenta? Chriſtum nihil latet, nè cogitationes quidem noſtræ, & voluntate gaudet omnipotenti.

Strom. lib. 4. pag. 517. Par. Edit.

Proximo libro hæc habet minimè negligenda. 'Verbum λόγος Patris non eſt hoc 'quod profertur ὁ προφορικὸς, ſed Sapientia & Dei

Strom. 5. pag. 547.

'Dei bonitas manifeſtiſſima. Omnipotens 'etiam poteſtas & verè divina, quæ non eſt 'ejuſmodi ut intelligentiâ comprehendi 'poſſit, voluntas omnipotens.

Chriſtus non eſt λόγ☉ προφορικὸς ſed omnipotens & immenſus.

Poſt multa interjecta, citans Platonis verba ex Timæo, addit. 'Non aliter ego intel-'ligo quàm S. Trinitatem ſignificari. Nam 'tertium quidem eſſe Spiritum S. Filium 'autem ſecundum, per quem facta ſunt o-'mnia ex voluntate Patris.

Trinitas Platonis.

Poſt nonnulla hæc habet prioribus conſona. 'Verbum quod progreditur cauſa eſt 'creationis. Deinde etiam ſeipſum generat 'quando Verbum caro factum fuerit, ut ca-'deret ſub aſpectum. Ubi obſerves velim Verbum ſuâ propriâ naturâ inviſibile eſſe, & in incarnatione ut præexiſtens ſeipſum generaſſe.

Ib. p. 553. Chriſtus ſeipſum generat ut hominem.

Sequente libro Paulum Apoſtolum ex libro Apocrypho, forte Pauli Actis, citat in hæc verba Clemens. 'Libros Græcos ſumite, '(*Gentiles alloquens*) agnoſcite Sibyllam, 'quomodo unum Deum ſignificet---& Hy-'daſpen ſumite & legite, & invenietis Dei 'Filium multo clariùs & apertiùs eſſe ſcri-'ptum.

Strom. 6. p. 636.

Iterum poſt alia. 'Quoniam unum eſt in-'genitum, nempe Deus omnipotens, unum 'eſt etiam prægenitum per quod omnia fa-'cta ſunt. Unus enim eſt reverâ Deus qui 'fecit principium univerſorum, ſignificans 'primogenitum Filium, ut ſcribit Petrus '(*in libro Apocrypho Petri Prædicatio nuncupa-* '*ta*)

Ib. p. 644.

Gen. 1.

‘*ta*) præclarè intelligens illud, *In principio* ‘*fecit Deus cœlum & terram* (animadvertendum autem eſt Moſen non dicere, principium fecit Deus, ſed in principio fecit cœlum & terram quod aliud longe eſt) ‘ Is autem dictus eſt Sapientia ab omnibus Prophe‘tis. Is eſt magiſter omnium quæ orta ſunt, ‘Dei conſiliarius. Quiſquamne autem, obſecro te Chriſtiane Lector, dicturus eſt creaturam à Deo factam eſſe Dei Sapientiam, quod de Verbo ſcriptura teſtatur, aut ejuſdem Conſiliarius? Abſit.

Ib. pag. 649.

Nec illa huc afferre pœnitebit. ‘ Is qui ‘eſt cognitione præditus γνωστικὸς (*Ortho*‘*doxus* ſcil. *non Hæreticus*) credit Dei Filio ‘nihil incomprehenſibile eſſe. Eſt igitur Chriſtus ſcientiæ infinitæ juxta Clementem, & cognitione Deo Patri æqualis, quod rei factæ competere impoſſibile planè eſt, & dictu blaſphemum.

Strom. lib. 7. in initio pag. 703.

Alibi luculentum Chriſto Domino ejuſq; æternitati, (nullum autem factum æternum eſt, aut eſſe poteſt) teſtimonium ſuppeditat Clemens. ‘ In his (*inquit*) quæ intelligen‘tiâ percipiuntur id quod eſt vetuſtius ge‘neratione τὸ πρεσβύτερον ἐν γενέσει aut crea‘tione τὸ ἄχρονον, καὶ ἄναρχον ἀρχὴν, καὶ ἀπαρχὴν τῶν ‘ὄντων τὸν υἱὸν, tempore & principio (*temporis*) ‘carens principium, & eorum quæ ſunt pri‘mitias, Filium colit & honorat γνωστικὸς, h. e. perfectus Chriſtianus, rectâ Dei cognitione imbutus. Vides, Chriſtiane Lector, Clementem clariſſimè docere, Filium Dei vetuſtiorem

Chriſtus eſt ἄχρονος καὶ ἄναρχος ἀρχή. Principium abſque principio, h. e. temporis.

tuſtiorem eſſe generatione, nimirùm temporali; quem principium eſſe aſſerit ἄχρονον καὶ ἄναρχον, ſine principio temporis: quod creaturæ cuicunque ex nihilo factæ adſcribere falſum eſſet & contradictorium. Animadvertas etiam quantum à vero aberrant, qui Arianum illud Chriſto occinunt, *erat quando non erat*: Quod enim ἄχρονον, æternum eſt, & quod æternum eſt nunquam non erat, cùm ſemper erat.

Κτιστὴ οὐσία οὐ δεκτικὴ τῶν ἰδίων τοῦ Θεοῦ. Athan. ad Serapion.

Pergit Clemens noſter. 'Perfectiſſima & 'ſanctiſſima & maximè principalis, & quæ 'maximè imperat, & eſt maximè regia, eſt 'natura Filii, quæ eſt ſoli omnipotenti pro- 'pinquiſſima. Hæc eſt maxima excellentia 'ὑπεροχὴ quæ omnia ordinat ex voluntate 'Patris, indefeſſâ & inexhauſtâ cuncta ope- 'rans potentiâ, propterea quod agit arca- 'nas & abditas reſpiciens notiones. Nun- 'quam enim è ſpeculâ ſuâ excedit Dei Fi- 'lius (*uti nec Juſtino M. univerſorum Pater*) 'ut qui non dividatur, non diſſecetur, non 'tranſeat è loco in locum, ſit autem ſemper 'ubique & contineatur nuſquam. Tota mens, 'totus oculus, tota lux paterna, quæ omnia 'audit, ſcit omnia, poteſtate ſcrutatur po- 'teſtates (hoc eſt, *Angelos*) quæ ei ſubjectæ 'ſunt. Hactenus Clemens. Tuam jam appello, Chriſtiane Lector, fidem, imò rationem: Hæccine creaturæ quamvis perfectiſſimæ ſanctiſſimæque, abſque grandi ſacrilegio, & abſurditate adſcribi poterint? Quid? Omnia indefeſsâ & inexhauſtâ potentiâ operari?

Dialog. ſupra.

rari? Arcana mentis humanæ, imò Angelicæ, ſcrutari? de loco in locum non tranſire, ſed ſemper ubique eſſe, & nuſquam contineri? Omnia videre, ſcire? &c. Qui ſingulares haſce divinæ majeſtatis prærogativas, vel, ut in ſcholis loquuntur, proprietates incommunicabiles, rei ex nihilo factæ transferunt; communes tùm religionis tùm rationis notiones violant, & creaturam in creatorem commutant, vel ſaltem plures Deos inferiores, ſeu medioxumos cum Ethnicis introducunt. Quod ſi cum Clemente eaſdem Chriſto tribuamus; invictè ſequitur eum eſſentialiter & ſubſtantialiter unum & eundem cum Patre Deum eſſe in ſecula benedictum. Sed de his ſatis.

Hoc (ſcil. æternitas) ſi Dei proprium eſt, ſolius Dei erit cujus eſt proprium, &c. Tertul. adv. Hermog. c. 4.

Ib. pag. 711.

Nec illa tranſcribere tædio erit Clemente noſtro digna. ‘Verbum undequaque effu‘ſum vel minima reſpicit ex iis quæ in vita ‘geruntur.

Ib. 719.

Alibi hæc habet memoratu digniſſima. ‘Jubemur colere & honorare eundem quem ‘& Verbum eſſe & Servatorem Ducem ha‘bemus perſuaſum, & per ipſum Patrem, (Clementis autem ſæculo cultum religioſum ſoli Deo exhibitum fuiſſe notiſſimum eſt: apud quem latriæ, aut duliæ Angelis vel Sanctis quibuſcunque præſtitæ, nec vola uſpiam apparet, nec veſtigium) ‘cujus, ‘utpote Filii unigeniti, honor in Patrem re‘dundat. Qui Chriſtum igitur, ut jubentur, colere & honorare detrectant, quicquid obtendunt, Patrem ipſum dedecorant.

Clemens

Clemens noſter illa Davidis perpendens, *Hæc eſt Generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob*, addit; ‘Demon-‘ſtravit David Servatorem noſtrum eſſe ‘Deum, dicens eum eſſe Faciem Dei Jacob (facies autem, ut omnes nôrunt, ejuſdem cum corpore ſubſtantiæ eſt) ‘qui annuncia-‘vit & docuit de Spiritu. Quocirca Apoſto-‘lus quoque appellavit Filium characterem ‘gloriæ Patris, qui veritatem, de Deo docue-‘rit & expreſſerit, quòd Deus & Pater unus ‘eſt, & ſolus omnipotens, quem nemo no-‘vit niſi Filius, &c. unum autem (*inquit*) ‘eſſe Deum per eos qui quærunt *Faciem Dei* ‘*Jacob* indicatum eſt, quem ſolum eſſe Deum ‘Patrem bonum exprimit ſervator noſter & ‘Deus. Hinc conſequitur, niſi contradicto-ria nos docuerit Clemens, cùm Filius ſit (ut ſupra, & ſæpius apertiſſimè teſtatus eſt) omnipotens, & Deus; Patrem & Filium eſſe unum illum & ſolum verum Deum omnipotentem, ut credit, & ſemper credidit, Eccleſia Catholica; vel plures eſſe Deos omnipotentes admittendos; à quo Gentilium portento certo certius eſt S. Clementem, cum univerſis Patribus, toto pectore abhorruiſſe.

Ib. 733. Pſal. 24. 6. Heb. 1. 3. Excludendo Deos alienos, cum Chriſtum Dei Filium eſſe omnipotentem diſertiſſime & ſæpiſſimè profiteatur. Ἓν ἄμφω uterque unum ſeu unus Deus. ut ſupra pag. 49.

Ad finem libri ultimi hæc legas. Quæ ſunt ‘fiſſis ungulis & ruminant, hoſtias eſſe mun-‘das tradit ſcriptura, utpote quod Juſti per ‘fidem iter ingrediantur ad Patrem & Fi-‘lium. Hæc eſt enim ſtabilitas eorum quo-‘rum fiſſæ ſunt ungulæ, &c. Quæ ruminant quidem

Ib. p. 765. Levit. 11. 3.

'quidem bifidam autem non habent ungu-
'lam, vulgus Judæorum tacitè ſignificant,
'qui eloquia Dei habent in ore, fidem au-
'tem & baſin non habent quæ tranſmittit ad
'Patrem per Filium & innititur veritati.
Hæc Allegoricè Clemens; Chriſti omnipotentiæ, omniſcientiæ, omnipræſentiæ, æternitatiſque teſtis laudatiſſimus.

Seculum Tertium.

CAP. I.

ORIGENES.

PRæceptorem ſuum Clementem Alex. Diſcipulus inſequatur Origenes φιλόπονος, de quo veriſſimè dictum eſt, *Ubi benè nemo melius, ubi malè, nemo pejus, ſcripſit.* In hujus operibus, licet innumeris, etiam in Sanctiſſimam Trinitatem, erroribus ſcateant, ab invidis Adverſariis inſertis, ut in Apologeticis nos docent Pamphilus, Ruffinus, Didymus, Sixtus Senenſis, aliiſque; haud pauca tamen, eaque inſignia, in eiſdem extant Catholicæ fidei teſtimonia. Athanaſius in libro de Decretis Synodi Nicænæ Origenem laudat contra Arianos, additq; eos nullum ex antiquis Patribus pro ſuâ hæreſi afferre (quicquid nunc Sandius gloriatur) potuiſſe. Verba

Vid. Epiphan. Epiſt. ad Joh. Hieroſolym. & Hieronymi ad Avitum.

Pag. 423. Edit. Commelin.

Verba à magno Athanaſio ex Origene deſumpta ità ſonant. ‘Cum Chriſtus ſit ſi-‘militudo Patris, fieri non poteſt ut fuerit ‘quando non fuerit. Quando enim Deus qui ‘ſecundùm Joannem lux dicitur ſplendore ‘caruit ſuæ majeſtatis, ut quis audeat Filio ‘principium adſcribere, quaſi antea non exi-‘ſtentem? Cogit & ſecum quicunq; audebit ‘dicere, erat quando non erat Filius .(*Aria-‘norum cantilena*) ſe hoc ipſum dicere, erat ‘quando Sapientia non erat, quando ratiō ‘non erat? (ſcil. *in Deo.*)

Chriſtus neceſſario ſempiternus.

Idem Origenes alibi. ‘Sed fas non eſt, ‘neque periculo vacuum, quantum in nobis ‘eſt ſpoliare Patrem unigenito ſuo ſemper ‘ſecum exiſtente Verbo, ſpoliare item eum ‘ſapientiâ. Hæc Origenes apud Athanaſium.

Sed præſtat Origenem ipſum conſulere, in cujus commentariis in Epiſtolam ad Romanos hæc in initio reperias. ‘Chriſtus ‘(*inquit*) eſt Deus non prædeſtinatus ut ‘eſſet Filius Deus, cùm ſemper fuit ſicut ‘Pater, ſed deſtinatus. Prædeſtinatur enim ‘quod non eſt.

In cap. 1.

Filius Dei ſemper erat.

Iterum poſt pauca. ‘Factus eſt Dei Filius ‘id quod prius non erat ſecundùm carnem: ‘ſecundùm verò ſpiritum erat priùs, & non ‘erat prius quando non erat.

Ibidem.

Non erat prius quando non erat Chriſtus

In illa verò, *Quem propoſuit Deus propitiatorium*,&c. præclarè diſſerit. ‘Propoſuit ma-‘gis de animâ Chriſti quàm de deitate ejus ‘dictum eſt. *Propoſuit* enim intelligitur qua-‘ſi prius poſuit, hoc eſt, priùs quàm eſſet.

In cap. 3.

Quod

Chriſtus ſempiternus.

'Quod enim *eſt* ponitur, quod nondum, proponitur; non ergo convenit de eo quod ſemper erat, id eſt, de Verbo Dei, dici quod propoſitus eſt, ſed de animâ ejus, quæ licèt inſeparabilis à Verbo Dei, creata tamen eſt, & unigeniti Deitate poſterior. Hæc æternam Chriſti Deitatem diſertiſſime comprobant.

Ibidem in fine, lib. 4. Nihil diverſum aut extraneum in Trinitate. Athanaſius paſſim.

Illa etiam notatu digniſſima ſunt. 'Fidere dicimur in Patrem & Filium & Spiritum S. quum integram ſubſtantiam, plenam & perfectam, quum nihil diverſum, nil diſcrepans aut extraneum in Trinitate profitemur.

In cap. 5. lib. 4. propè finem. Chriſtus ex ſubſtantia Patris. Eſt igitur conſubſtantialis Patri.

Nec illa mihi excidere patior. 'Niſi eſſet hic (ſcil. *Chriſtus*) ex illâ veniens ſubſtantiâ & illius Patris Filius de quo dictum eſt, quòd *Nemo bonus niſi unus Deus Pater*, tantam utique erga nos bonitatem non potuiſſet oſtendere.

In cap. 9. lib. 7.

1. Cor. 8. 6.

Palmaria Anti-Trinitariorum objectio. Vid. Crellium de uno vero Deo &c.

Illa autem prætermittere piaculum eſſet. 'Miror quomodo quidam legentes---*Unus Deus Pater ex quo omnia, & unus Dominus Jeſus Chriſtus per quem omnia*, negent Filium Dei Deum debere profiteri, ne duos Deos dicere videantur. Et quid de hoc loco Apoſtoli facient, in quo apertè Chriſtus ſuper omnia Deus eſſe præſcribitur? Sed non advertunt qui hæc ita ſentiunt, quòd ſicut Dominum Jeſum Chriſtum non ita unum eſſe Deum dixit, ut ex hoc Deus Pater non Dominus dicatur: ita & Deum Patrem non dixit ita eſſe unum Deum ut Deus Filius

'lius non credatur. Vera eſt enim Scriptura 'quæ dicit, *Scitote quod ipſe eſt Deus.* Unus 'autem uterque eſt Deus, quia non eſt aliud 'Filio divinitatis initium quàm Pater, ſed 'ipſius unius paterni fontis (ſicut Sapientia 'dicit) *Puriſſima eſt emanatio Filius.* Eſt ergo 'Chriſtus Deus ſuper omnia. Qui autem ſu-'per omnes eſt,ſuper ſe neminem habet. Non 'enim poſt Patrem ipſe, ſed de Patre, Hoc 'autem *(id eſt Sapientia Dei)*etiam de S. Spi-'ritu intelligi dedit,ubi dicit, *Spiritus Domini 'replevit orbem terrarum & qui continet omnia,* '&c. ſi ergo filius Dei ſuper omnes dicitur, '& Spiritus S. continere omnia memoratur, 'Deus autem Pater eſt ex quo omnia, evi-'denter oſtenditur natura Trinitatis & ſub-'ſtantia una (numero ſc. non ſpecie tantùm una, quæ duos pluresve Deos facilè admittit) 'quæ eſt ſuper omnia. Clariſſimum contra Tritheitas, & plurimæ (ut alicubi Tertullianus) divinitatis cultores teſtimonium.

Pſal. 100.

Pater & Filius uterque unus Deus quia Filius ex Patris ſubſtantia eſt.

Chriſtus eſt Deus ſuper omnes.

Spiritus Deus omnia continens.

Pater Filius & Spiritus unius ſubſtantiæ ſunt,h.e. ὁμοούσιοι.

Alibi (quod diligenter obſervandum eſt) probat Chriſtum eſſe revera Deum, quia religiosè invocandus eſt, illa Apoſtoli huc referens, *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Audi ipſum. 'Eum cujus no-'men invocatur, Deum Jeſum Chriſtum 'eſſe pronunciat Paulus in principio Epiſtolæ 'ad Corinthios ,ubi dicit, *Cum omnibus qui 'invocant nomen Domini Jeſu Chriſti,*&c.ſi ergo '& Enos, & Moſes, & Aaron, & Samuel 'invocabant Dominum, & ipſe exaudiebat 'eos ,ſine dubio Chriſtum Jeſum Dominum invocabant,

In cap. 10. lib. 8.

Rom. 10. 14.

1 Cor. 1. 1.

Pſal. 99. 6.

Invocare eſt adorare. ‘invocabant, & ſi invocare Domini nomen ‘& adorare Deum unum atque idem eſt, ‘ſicut invocatur Chriſtus & adorandus eſt ‘Chriſtus, & ſicut offerimus Deo Patri pri-‘mo omnium orationes, ita & Domino ‘Jeſu Chriſto---& ſicut offerimus gratiarum ‘actiones Deo, ità gratias offerimus Salva-‘tori. Unum namque utrique honorem de-‘ferendum, id eſt Deo Patri & Filio, divinus

Joan. 5. 23. ‘docet Sermo, cùm dicit, *Ut honorificent Fi-‘lium ſicut honorificant Patrem.* Arrigite aures Chriſtomachi: unum eundemque non ſimilem aut diverſum honorem Deo Patri & Filio (Deo, ait, non Diis) à Chriſtianis deferendum eſſe.

Ibid. Eodem in loco paulò ſuperiùs hæc habet minimè omittenda. ‘Apoſtolus (*inquit*) do-

Rom. 10. 6. ‘cet, *Ne dicamus in corde noſtro, & putemus ‘quod Chriſtus--non ubique eſt, ac per omnia ‘diffunditur*, quippe qui cùm eſſet in terris ‘dicebat quod eſſet in cœlo. Non dixit, qui

Joan. 3. 13. ‘fuit, ſed qui *eſt in cœlo.*

Nec illa gravabor huc tranſcribere, quan-

In cap. 5. lib. 5. quam mihi propè exciderunt. ‘*In formâ Dei ‘erat*(ſc. *Chriſtus*)& videns unius hominis de-‘licto mortem regnare per populos creaturæ

Phil. 2. 6. ‘ſuæ, non obliviſcitur, *Nec rapinam ducit eſſe ‘ſe æqualem Deo hoc eſt*, non ſibi magni ali-‘quid deputat quod ipſe quidem æqualis

Chriſtus unum cum Deo Patre & æqualis ei. ‘Deo, & unum cum Patre eſt. Hæc ex Commentario Origenis in Romanos collecta ſunt; interprete, non Ruffino (cujus ſub-

In Origenian. lecta m fidem in aliis transferendis haud immeritò

meritò notat vir doctus & modeſtus Huetius) ſed S. Hieronymo ut ex præfatione operis intelligas.

Magnam autem præ cæteris invidiam Origeni conflavit opus illud Eccleſiæ infeſtum & infauſtum περὶ ἀρχῶν. Unde funeſtæ illæ inter Hioronymum & Ruffinum, inter Chryſoſtomum & Epiphanium, alioſque ſummi nominis viros altercationes ortum habuere. In his tamen libris (licèt aliàs erroribus abundent) Apoſtolicam circa SS. Trinitatem fidem clariſſimè nobis depingit Origenes. Ita enim de Chriſto ſcribit. ‘Primùm ‘illud nos oportet ſcire, quod alia eſt in ‘Chriſto Deitatis ejus natura qui eſt unige‘nitus Filius Patris; & alia humanæ.--- ‘Neque tamen putet quis aliquid nos in ‘ſubſtantivum dicere cùm eum Dei Sapien‘tiam nominamus, id eſt, ut exempli causâ ‘finxerim, quod eum non velut animal quod‘dam ſapiens, ſed rem aliquam (intelligit qualitatem aliquam ſeu virtutem ut Sociniani de Spiritu S. comminiſcuntur) quæ Sa‘pientes efficiat intelligamus.-- Si ergo ſe‘mel rectè receptum ſit unigenitum Filium ‘Dei Sapientiam ejus eſſe ſubſtantialiter ſub‘ſiſtentem, fruſtra ſuſpicemur quòd ipſa ‘Idea ſubſtantiæ ejus corporeum aliquid ha‘beat. Quibus præclarè admodùm ſubjungit. ‘Quomodo autem extra hujus Sapien‘tiæ generationem fuiſſe aliquando Deum ‘Patrem, vel ad punctum momenti quis po‘teſt ſentire vel credere, qui tamen pium ali-

Lib. 1. cap. 2. de princip.

Chriſtus Dei Sapientia eſt, Subſtantia ſubſiſtens non tantum res.

'quid intelligere noverit vel ſentire? Aut 'enim non potuiſſe Deum dicet generare 'Sapientiam antequàm generaret, aut po-'tuiſſe quidem ſed noluiſſe? Quorum 'utrumque (*inquit*) abſurdum & impium 'eſt. Propter quod nos ſemper Deum Pa-'trem novimus unigeniti Filii ſui, ex ipſo 'quidem nati, & quod eſt ab ipſo trahentis 'ſine ullo tamen initio, non ſolùm eo quod 'aliquibus temporum ſpatiis diſtingui po-'teſt, ſed (*attende*) ſine illo quod ſola mens 'apud ſeipſum intueri. ſolet, & nudo (*ut* '*ita dixerim*) intellectu atque animo con-'ſpicari. Hæc probè contra Arianorum ter-giverſationes notanda ſunt, qui

Deus ſemper Pater.

Chriſtus ab æterno genitus.

Vid. Hilar. cont. Conſtantium Imp.

Verbum Deum ante ſecula ſeu mundi creationem extitiſſe confitebantur (quod de Diabolo fortaſſe verum eſt) ſed neutiquam ab æterno ex Dei ſubſtantiâ genitum fuiſſe, ſed ex nihilo factum aut creatum.

Ariani in ipſum ingenitum impietatem ſuam jactant.

Pergit Origenes. 'Qui initium aſſignat 'Verbo Dei vel Sapientiæ Dei, intuere ne 'magis in ipſum ingenitum impietatem 'ſuam jactet; cùm eum neget ſemper Pa-'trem fuiſſe, & genuiſſe Verbum & habuiſſe 'ſapientiam in omnibus anterioribus vel 'temporibus vel ſeculis, vel ſi quid eſt quod 'nominari poteſt.

Naturâ non gratiâ, aut dominio ut Sociniani volunt.

Ibidem. 'Non per adoptionem Spiritûs 'Filius fit (ſcil. *ut ſancti homines*) ſed natu-'râ Filius eſt. Iterum paulo inferius. *Ipſe eſt ſolus naturâ Dei Filius, idcirco unigenitus dicitur*, h. e. Filius unigenitus dicitur Chriſtus non propter gratiam ſed naturam. In

In eodem capite poſt nonnulla hæc invenias apprimè advertenda. ‘ Ut autem unam ‘ & eandem omnipotentiam (*ac conſequenter* ‘ *naturam*) Patris ac Filii, eſſe cognoſcas, ‘ ſicut unus atque idem eſt cum Patre Deus ‘ & Dominus, audi Joannem in Apocalypſi ‘ dicentem, *Hæc dicit Dominus Deus, qui eſt* ‘ *& qui erat & qui venturus eſt, omnipotens.* ‘ Qui enim venturus eſt omnipotens, quis ‘ eſt alius niſi Chriſtus? Et ſicut nemo debet ‘ offendi cùm Deus ſit Pater, quòd etiam ‘ Salvator eſt Deus; ita & cùm omnipotens ‘ ſit Deus Pater, etiam nullus debet offendi ‘ quod etiam Filius omnipotens dicitur. ‘ Hoc modo namque verum erit illud quod ‘ ipſe dicit ad Patrem, *Omnia tua mea ſunt*; ‘ſi omnia, Filius etiam omnipotens eſt.

Apocal. 1. 8.

Chriſtus omnipotens eſt.

Filius omnipotens ut Pater.

Joan. 17. 10.

Tandem in fine ejuſdem capitis. ‘ Non ‘ alia aliqua ſecunda bonitas exiſtit in Filium ‘ (*rectiùs in Filio*) præter eam quæ eſt à Pa‘tre. Unde & rectè ipſe Salvator dicit, *Ne*‘*mo bonus niſi unus Deus Pater*; quo ſcil. per ‘ hoc intelligatur Filium non eſſe alterius bo‘nitatis, (*ac conſequenter eſſentiæ*) ſed illius ‘ ſolius quæ in Patre eſt.---Propter quod non ‘ debet velut blaſphemiæ aliquod genus pu‘tari in eo quod dictum eſt, *Nemo bonus niſi* ‘ *unus Deus Pater*, ut propterea putetur vel ‘ Chriſtus vel Spiritus S. negari quod bonus ‘ ſit, ſed, ut ſuperius diximus, principalis ‘ bonitas in Deo ſentienda eſt Patre, ex quo ‘ & Filius natus & Spiritus S. procedens ſi‘ne dubio bonitatis ejus naturam in ſe reti-

Quomodo inferior dici poterat qui Filius & omnia quæ Pater?

Orig. lib. 7. ad Rom.

Matt. 19. 17.

‘ nent quæ eſt in eo fonte de quo vel natus ‘ eſt Filius vel procedens Spiritus S. Hæc clariſſima, imò, præclariſſima ſunt.

Lib. 3. In proximo capite hæc occurrunt, ‘ Veruntamen uſque ad præſens nullum ſermo- ‘ nem in Scriptis S. invenire potuimus per ‘ quem Spiritus S. factura eſſe vel creatura ‘ diceretur.---Spiritus igitur Dei qui ſuper ‘ aquas ferebatur puto quod non ſit alius ‘ quam Spiritus S. ſecundùm quod ego intel- ‘ ligere poſſum.

Spiritus S. non eſt factus aut creatus. Gen. 1. 2.

Illa verò quæ paulo ſuperiùs habet minimè omittenda ſunt; ‘ Ex quibus omnibus ‘ (*nimirùm S. Scripturæ locis*) didicimus tan- ‘ tæ authoritatis & dignitatis ſubſtantiam ‘ eſſe Spiritûs S. ut baptiſmus ſalutaris non ‘ aliter niſi excellentiſſimæ omni Trinitatis ‘ authoritate, id eſt, Patris, & Filii, & Spi- ‘ ritus S. cognominatione compleatur, & ‘ ingenito Deo Patri & unigenito ejus Filio ‘ nomen quoque Spiritus S. copuletur. Quis ‘ ergo (*inquit*) non obſtupeſcat quanta Ma- ‘ jeſtas Spiritus S. ſit: cùm enim qui dixerit ‘ *Verbum in Filium hominis* audiat ſperare ve- ‘ niam poſſe, eum verò qui in *Spiritum S.* ‘ *blaſphemaverit* veniam non habere.

Lucæ 12. 10.

Ib. Poſt nonnulla. ‘ Impium ait eſſe & ſtul- ‘ tum Spiritum S. confiteri, & ignorantiam ‘ ei adſcribere. Pari ratione rectiſſimè colligas Filium Dei cum Arianis confiteri, & eidem ignorantiam, nimirùm diei judicii, adſcribere, impium & ſtultum eſſe.

Illa ex his libris tantùm adjungam Arianæ

Hæreſi ex diametro adverſa. ‘ Non dici- ‘ mus ſicut Hæretici putant--ex nullis ſub- ‘ ſiſtentibus Filium procreatum à Patre, id ‘ eſt, extra ſubſtantiam ſuam ut fuerit ali- ‘ quando quando non fuerit.

Lib. 4. in Anacephalai. in initio.

Non eſt mihi animus omnia quæ in Origenis ſcriptis Catholicæ fidei circa SS. Trinitatém conſona ſunt tranſcribere. Rationes infra videas, ſi libet. Quædam tantum, ſed illuſtria, hinc illinc diſperſa delibabo.

Hujuſce generis illa ſunt. ‘ Formam ſervi ‘ accepit (ſcil. *Chriſtus*) & cum ipſe inviſi- ‘ bilis ſit, naturâ utpote æqualis Patri, ha- ‘ bitum tamen viſibilem ſuſcepit.

Hom. 4. in Gen. Chriſtus inviſibilis & Patrì æqualis.

Alibi præclarè de Angelo qui Joſuæ apparuit diſſerit. ‘ Cognovit Joſua non ſolùm ‘ quod ex Deo eſt, ſed quia Deus eſt; non ‘ enim adoraſſet niſi Deum cognoviſſet. *Sta-* ‘ *tim addit* : Angelus hic Chriſtus erat.

Hom. 6. in Joſu. Solus Deus adorandus eſt, non Angelus.

Nec illa parvi æſtimanda in priori Homilia. ‘ Certum eſt quod ex uno Deitatis fonte ‘ & Filius intelligendus eſt & Spiritus.

Hom. 5. in Joſu. Pater, Filius, & Spiritus ὁμοέσιοι.

Illa autem omittere piaculum eſſet. ‘ Eſt ‘ ergo hæc trium diſtinctio perſonarum in ‘ Patre & Filio & Spiritu S. quæ ad plura- ‘ lem puteorum numerum revocatur. Sed ‘ horum puteorum unus eſt fons : una enim ‘ ſubſtantia eſt & natura Trinitatis. Breviſſima & pleniſſima S. Trinitatis confeſſio; ſi enim unius ejuſdemque ſubſtantiæ ſit, hoc eſt, numero (plures enim eſſe Deos Chriſtianæ aures neutiquam ferunt) Filius & Spi-

Hom. 12. in Num.

ritus S. Patri ὁμοούσιοι ſeu conſubſtantiales rectiſſimè audiunt.

Si quis plura adhuc Origenis deſideret, conſulat Hom. 3. in Joſuam, Hom. 4. in Eſaiam, in illa Sanctus, Sanctus, Sanctus. Hom. 6. in Jeremiam, nec non Hom. 11. in eundem, ubi hæc reperias quæ huc tranſcribere non piget. ' Puto ergo quod Spiritus S. ita ſan-'ctus ſit, ut non ſit ſanctificatus. Non enim 'ei extrinſecùs & aliundè acceſſit ſanctifica-'tio quæ ante non fuerat; ſed ſemper fuit
Spiritus S. ſanctitas abſq; initio.
'ſanctus, nec initium ſanctitas ejus accepit. 'Sola enim Trinitatis ſubſtantia eſt quæ — 'ſui naturâ ſit ſancta.

Ex libris autem contra Celſum, (quod opus cæteris facilè palmam præripit) cùm Græcè extent, & ad manum ſint, nonnul-
Lib. 1. pag. 43. Edit. Cantabr.
la hiſce accumulare geſtit animus. Nec aliundè meliùs ordiamur quàm ab illis quæ habet
Pſal. 45.
in verba Davidis. *Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi*, &c. *unxit te Deus, Deus tuus*, &c. 'Conſidera quod Deum alloquens Propheta, 'cujus ſedes eſt in ſeculum ſeculi, &c. hunc 'Deum ait unctum à Deo qui ſit ipſius Deus, 'unctum autem dilexiſſe juſtitiam, &c. His 'verbis memini me urgere Judæum, cumq; 'non poſſit ſe explicare, reſpondit ſicut de-'cebat Judæum. Aiebat (*quem moderni noſtri* '*Chriſtomachi imitantur*) ad univerſitatis
Pſal. 45.
'Deum dictum eſſe illud, *Sedes tua Deus in* '*ſeculum ſeculi*, &c. Ad Chriſtum verò illud, '*Dilexiſti juſtitiam--propterea unxit te Deus*,
Ib. pag. 46.
'*Deus tuus*, &c. Poſt nonnulla ait, magos obtuliſſe

obtuliſſe Chriſto Thus ut Deo quem adoraverant.

Illa inſuper Celſo objecta minimè omittenda ſunt. ‘Ne apertè prædicatam in Evan- Ib. pag. 49.
‘geliis Chriſti Deitatem confiteatur non vult
‘Celſus iis fidem præbere.

Illa verò accuratius animadvertenda ſunt, cum Celſo objicienti, ‘Quid opus erat Deum Ib. pag. 52.
‘mortis metu fugere in Ægyptum? *Reſpon-*
‘*det*, Nimia novitas auxilii, & ſupra modum
‘dum inſignis non conveniebat ei qui vellet
‘oſtendere ſe hominem à Deo teſtimonium
‘habentem ſed occultare quiddam divinius
‘ſub humanâ ſpecie, id quod erat propriè
‘Dei Filius, Deus Verbum, potentia, Sa-
‘pientiaque Dei qui vocatur Chriſtus.

Illa inſuper alio in libro diſerta ſunt. Lib. 2. pag. 63.
‘Meritò Judæos accuſamus quòd Chriſtum
‘Deum minimè agnoſcant, cui tot locis
‘Prophetæ teſtantur (ſcil. *Moſes & David*) Gen. 1. 3, 6, 26.
‘quod ſit magna virtus Dei. Si enim man- Pſal. 148. 5.
‘davit Deus & conditæ ſunt creaturæ, quis
‘juxta ſententiam Prophetici Spiritus poſſet
‘eſſe tanti Paterni mandati executor quam Chriſtus Sermo animatus, ἔμψυχος.
‘ille, ut ſic loquar, animatus ejus Sermo &
‘veritas?

His adjungit quæ Chriſti Domini omni- Ibid. pag. 64.
præſentiam, ac proindè immenſam infinitamque naturam clariſſimè comprobant.
‘Quod verò eum qui in Jeſu locutus eſt illud,
‘*Ego ſum via, veritas & vita*, nè evangelia
‘ſic circumſcribant corpore, ut nuſquam eſſet
‘extra Jeſu corpus & animam; liquet ex

 multis

'multis locis, quorum aliquot paucos libet 'hic apponere. Baptiſta Joannes prophetans 'jamjam aſtore Dei Filium, non in illo cor-'pore animâque (*tantum intellige*) ſed præ-'ſentem ubique dicit de eo; *In medio veſtrum* '*ſtat quem vos neſcitis, qui poſt me venturus eſt.* 'Siquidem intellexiſſet illic tantummodo 'eſſe Dei Filium ubi corpus ejus cerneretur, 'quomodo dixiſſet illud, *In medio veſtrum* '*ſtat quem vos neſcitis?* In eandem ſententiam citat Mat. 18. 20. & 28. 20.

Joan. 1. 26.

Poſt nonnulla hoc modo Celſum adoritur. 'Quod ſi Celſus credet Evangeliis quoties 'ei videntur contra Chriſtianos facere, eiſ-'dem aſſerentibus Jeſu divinitatem θειότητα 'nolet credere; dicemus ei, aut in univer-'ſum iis non crede--aut, ſi credis omnibus 'quæ continent, admirare verbum Dei factum 'eſſe hominem.

Ibid. pag. 80.

Lib. 3. p. 119. Alio in libro aſſerit Jeſum etiam antea ſumptam humanam naturam eſſe Dei Filium, nec poſt deſcenſum è cœlo tum primùm initium habuiſſe.

Ibid. p. 136. Illa item accuratius animadvertenda ſunt quæ Celſo improperanti Chriſtianos Jeſum mortali corpore conſtantem Deum eſſe credere, reponit Origenes. 'Hunc Jeſum, quem 'jam olim Deum & Dei Filium credimus, 'ſciant eſſe ipſum Verbum, veritatem, ſa-'pientiam; cæterùm mortale ejus corpus & 'humanam animam illius Verbi non ſolùm 'communicatione ſed etiam unitione & per-'mixtione tantum divinitatis aſſumpſiſſe ut

Deus

'Deus fieret, h. e. eſſet; Factus enim Deus propriè nullus eſt.

Alibi diſtinguit inter animam Jeſu & Verbi Dei naturam quod Deus eſt. Lib.4. p. 164. & 170.

In initio libri proximi in hunc modum præfatur. 'Dei ſolius eſt opus per Spiritum ſuum 'unà cum Chriſti Spiritu adire quos dignatur. Lib. 5.

Illa autem quanquam penè elapſa fuerint hoc loco, licèt non ſuo, annotare viſum eſt 'Chriſtus ipſe Deus deſcenſu in mundum non 'mutat locum, nec deſerit ſolium (*nimirùm* '*cœli*) cùm repleat orbem. Quod ipſum probat ex Jer. 23. 24. Act. 17. 28. Lib. 4. p. 164. Chriſtus omnipræſens.

Illa etiam diligenter obſervanda ſunt. 'Ebionæi (*inquit*) Hæretici duorum gene'rum ſunt, vel nobiſcum fatentes Jeſum 'natum à Virgine vel non ita; ſed reliquo'rum more hominum. Quid hoc crimen ad 'Eccleſiam pertinet? *Similiter poſt pauca.* 'Sunt quædam hæreſes quæ non recipiunt 'Paulinas Epiſtolas, ut Ebionæi utriuſque 'generis. Ubi notandum eſt, nonnullos ex Ebionis Hæreſi, Jeſum Chriſtum, non reliquorum more hominum, ſed, ut Sociniani, è Virgine natum, docuiſſe, & eâ ratione Dei Filium nuncupari. Lib. 5. p.272. & pag. 274. Ebionæi diverſi generis.

In eodem libro poſt haud pauca hæc reperias, lectu digniſſima. 'Nam neque ab æterno genitum '(*Græca habent* τ̃ ἀγέννητον, 'h. e. *in tempore*) omniſq; creatæ naturæ pri'mo genitum quiſquam pro dignitate poteſt 'noſſe niſi Pater ipſe qui genuit ὁ γεννήσας 'αὐτὸν πατὴρ (*non eſt igitur abſolutè ἀγέννητος*) Lib. 6.p. 287.

neque

‘ neque Patrem quiſquam æque ac ὁ ἔμψυχος ‘ λόγος, animatum ejus Verbnm & Sapien‘ tia & veritas. Ubi loci Platonis verba Trinitatem indicantia commemorat à Clemente Alex. ſupra laudata. Quibus addit. His lon‘ gè præſtantiora ex Prophetis hauſimus ipſo ‘ Jeſu interpretante ſuis Diſcipulis quid per ‘ hæc oracula (*nimirum Scripturæ*) voluerit ‘ Spiritus S. qui fuit idem etiam Chriſti Spi‘ ritus.

Lib. 6. p. 317.

Athanaſius ſimiliter αὐτόλογον appellat.

Poſt nonnulla interpoſita diſertè aſſerit, Chriſtum Verbum & Dei Filium fuiſſe δημιουργὸν mundi opificem καὶ ὡσπερεὶ αὐτουργὸν. Verbi autem Patrem cujus mandato mundus ſit per ipſum Filium conditus εἶναι πρώτως δημιουργόν, eſſe primariò demiurgum, ſcil. ratione originis & ordinis ; cùm Filius in SS. Trinitate ſecunda perſona ſit à Patre ortum trahens.

Ibid. p. 320.

Illa etiam inter alia diligenter annotanda ſunt. Cùm Celſus aſſeruiſſet Deum Patrem non eſſe λόγῳ ſeu ratione comprehenſibilem ; Origenes diſtinguit, & ad hunc modum ſe explicat; ‘ Si intelligatur de ratione λόγῳ quæ ‘ in nobis eſt hâc Deum non eſſe comprehen‘ ſibilem, ſin de illa quæ erat *In principio, & ‘ erat apud Deum, & erat Deus*, hâc Deum ‘ eſſe comprehenſibilem. Quiſquamne, obſecro Lector, Deum infinitæ immenſæque naturæ comprehendere potis eſt præter Deum, ejuſdem planè immenſæ naturæ participem ?

Joan. 1. 1.

Ib. 322.

Nec illa Origene indigna ſunt. ‘ Quis ‘ alius

'alius valeat ſervare & ad Deum Opt. Max. 'animam humanam adducere, quàm Deus 'Verbum, qui cùm in principio apud Deum 'eſſet propter carnales caro factus eſt, ut 'caperetur ab iis à quibus alioqui nè videri 'quidem poterat in quantùm Verbum 'erat, & Deus erat.

Chriſtus incarnatus eſt ut eſſet viſibilis.

Ibidem poſt nonnulla. 'Juxta noſtram doctrinam non ſolus univerſorum Deus & Pater 'magnus eſt. Communicavit enim magnitudinem ſuam cum unigenito & primogenito 'omnis creaturæ, ut magnitudine quoque 'imaginem Parentis referat. Ib. 323.

In ipſo initio libri ultimi Chriſtum orat in hæc verba. *Octavum volumen aggreſſurus precor Deum & Verbum ejus unigenitum ut adſit mihi.* Sed, ut hoc ipſe in libro paſſim habet, ſoli Deo offerendæ ſunt preces. Chriſtus igitur juxta Origenis ſententiam veriſſimè Deus eſt, Lib. 8. Pag. 402, 404, 422.

Deinceps poſt nonuulla Celſum introducit Chriſtianos hiſce verbis accuſantem. 'Si nullum alium iſti præter unum Deum (*nota*) 'colerent, videri poterant alios (nimirum '*Gentiles Polytheiſmi reos*) meritò contemnere; nunc cùm recens exortum hunc '(*Chriſtum ut Deum*) immenſis extollant 'honoribus, credunt ſe nihil peccare in Deum 'quod miniſtro ejus reverentur, ſerviant. '*Quibus regerit Origenes.* Si Celſus intellexiſſet illud, *Ego & Pater unum ſumus, &* '*illud. Sicut ego & tu unum ſumus,* non putaſſet nos & alium (*Deum*) colere præter Ib. p. 385. Joan. 10. 30. 17. 22.

Deum

'Deum univerſorum Dominum, Ait enim, '*Pater eſt in me, & ego in Patre.* Hinc facilè perſpicias Chriſtum & Dominum univerſorum Patrem juxta Origenis reſponſionem unum eſſe eundemque numero Deum, nimirùm ratione habitâ eſſentiæ,

Chriſtum ut Deum colendo alium Deum non colimus. Vid. Lactant. l. 4. Inſtit. cap. 29.

Quam in rem ibidem addit Origenes. 'Quod ſi quis his motus verebitur nè forte 'transfugiamus ad eos (ſcil. *Patri-paſſianos*) 'qui negant duas eſſe ὑποςάσεις ſubſiſtentias 'Patrem & Filium: audiat illud, *Erat autem* '*omnium credentium cor unum & una anima*, ut 'contempletur illud dictum, *Ego & Pater* 'unum ſumus. Hæc, quod probè notandum eſt, unitatem non eſſentiæ (quanquam nec excludant) ſed voluntatis & concordiæ inter Patrem & Filium, denotant. Noluit autem, opinor, Origenes ineffabile, trium Perſonarum in unitate ejuſdem eſſentiæ myſterium dilucidiùs Celſo, Philoſopho Ethnico & Epicuri de grege porco deridendum proponere, ὀ πάντα πᾶσι πάντοτε, ut ſapientiſſimè Nazianzenus. Sed pergamus.

Act. 4. 32.

Joan. 10. 1.

Quo ſenſu Sancti omnes cum Deo. unum ſunt inter ſe & in Deo Ath. de Synod. p. 711.

His annectit Origenes. 'Unum igitur 'Deum Patrem & Filium colimus--& non 'recens exortum, quaſi prius non fuerit, 'nimiis honoribus extollimus: Credimus 'enim ejus verbis dicentis, *Antequam Abra-* '*ham natus eſſet ego ſum.* Itemque, *Ego ſum* '*veritas.* Nec eſt quiſquam noſtrum tam illi'berali ingenio ut opinetur quod veritatis 'eſſentia non fuerit ante adventus Chriſti 'tempora. Itaque religiosè colimus Patrem

Chriſtus ſempiternus & unus cum Patre Deus.

Joan. 8. 58.

Joan. 14. 11.

'veritatis,

'veritatis & veritatem Filium, duos quidem 'ſubſiſtentiâ, ὑποςάσει, unum verò concordiâ, 'conſenſu, voluntatiſque identitate: adcò ut 'quicunque vidit Filium, viderit in ipſo 'Deum, ut in imagine Dei.

Cùm aſſerat hoc in loco Origenes Patrem & Filium duos eſſe ὑποςάσει, unum verò concordiâ voluntatiſque identitate, opinatur Huetius eum non modò perſonâ, ſed ſubſtantiâ diſtinxiſſe, vel potius diviſiſſe Filium à Patre. Quâ in re fateor me (doctiſſimi viri pace dictum ſit) diverſum ſentire. In eos enim, ut ſupra videas, diſputat Origenes qui Simonianorum & Patri-paſſianorum hæreſin Chriſtianis impingerent. Verùm enimverò ſi eum in ſenſum reſpondiſſet Origenes, Ethnicorum exceptionem Polytheiſmum improperantium nullo modo diluiſſet quin potius corroboraſſet. Patrem igitur & Filium unum ſubſtantiâ Deum, ὑποςάσει h. e. perſonâ ſeu ſubſiſtentiâ diverſum ſeu diſtinctum profitetur Adamantius. Cùm verò Origenis in Matthæum & Joannem commentarios Græcè ſimul & Latinè ediderit nuperrimè Vir doctus Huetius, nonnulla, è poſterioribus, huc tranſcribere in Lectoris gratiam operæ pretium exiſtimo: Cùm in præfatione in Joannem rectiſſimè obſervat Origenes quòd, 'nullus Evange'liſtarum adeò purè manifeſtavit illius divi'nitatem, ſeu potiùs deitatem, ἀκεραιῶς 'ἐφανέρωσεν αὐτοῦ (e. *Chriſti*) τὴν θεότητα, ſi'cut Joannes.

Origenian. lib. 2. quæſt. 2. cap. 1. §. 3.

Vid. in Johan. pag. 28. & Matthæum. pag. 470. edit. Huet.

Pag. 5. in Joan.

Illa

Ib. pag. 28.

Illa imprimis diligenter animadvertenda ſunt quibus eos, ſc. Valentinianos Hæreticos, redarguit, qui exiſtimârunt Filium Dei Verbum paternam prolationem eſſe, & in Syllabis poſitam, & idcircò Hypoſtaſin ſeu ſubſiſtentiam illi non tribuerunt, nec per ſe vivere docuerunt. Necnon illa Chriſti Domini omniſcientiam clariſſimè teſtantia. ‘Si ‘quis (*inquit*) inquirat num omne cognitum ‘Patri---Servator noſter ſciat & cauſa glori‘ficandi Patris (*ut Hæretici prætendunt*) ‘quædam à Patre cognita eſſe dicat quæ Fi‘lius ignoret, (ex gr. *judicii ultimi diem*) ‘ſciendum eſt Servatorem quia ſit veritas ‘nihil veri ignorare---vel oſtendat aliquis ‘quædam eſſe quæ cognoſcuntur quæ verita‘tis appellatione nuncupari non poſſunt, ſed ‘ſupra ipſam veritatem ſita ſunt.

Chriſtus non eſt verbum Syllabicum.

Chriſtus omniſcius.

Suprà pag. 11.

Chriſtus eſt ſummè bonus.

Hæc verò quanquam mihi penè exciderunt in memoriam revocanda ſunt cùm illuſtria ſint. ‘Haud ſilentio prætereundum eſt ‘illud verbum quod cum Patre univerſorum ‘Deus eſt. Namque & hoc bonum nullo alio ‘bono inferius eſt.

Ibid. p. 31.

Pſal. 2. 7.

Poſt nonnulla Chriſti æternitatem diſertiſſimè profitetur. ‘*Filius meus es tu, ego ho‘diè genui te*; dicitur (*inquit*) ad illum à Deo ‘cui ſemper eſt hodie; neque enim eſt veſ‘pera Dei neque mane, meo quidem judicio, ‘ſed tempus (ut ità dicam) ſimul ſe exten‘dens cum illa ipſius ingenita & ſempiterna ‘vita, ipſi dies eſt hodie in quâ genitus eſt ‘Filius; ſic non invento originis ipſius ‘principio ſicut neque diei.

Chriſtus ſempiternus & ſine principio.

Nec

Nec illa quæ habet in Phil. 2. 8. negligenda duco. ‘*Si rapinam arbitratus* fuiſſet Chriſtus eſſe ſe æqualem Deo, nec voluiſſet pro ‘mundi ſalute fieri ſervus. Ibid. p. 34. Phil. 2. 6.

Alibi in illa apud Prophetas paſſim occurrentia, *Sermo Domini factus eſt ad Hoſeam*, & *Sermo factus eſt ad Eſaiam*, &c. per quàm egregie notat, ‘Ad homines quidem fit ſer‘mo ſeu Verbum;ad Deum vero non fit,quaſi ‘qui antea non exiſteret apud ipſum, ſed ‘eo quòd ſit ſemper cum Patre, dicitur: *Et ‘Sermo erat apud Deum*; non enim factus eſt ‘apud Deum; & idem Verbum *erat* de Ser‘mone prædicatur,quoniam in principio erat ‘etiam tum cum apud Deum erat, neque à ‘principio ſeparatus, neque Patrem deſerens. ‘*Et rurſus*, neque eo quòd non ſit in princi‘pio, factus in principio, neque eo quòd non ‘ſit apud Deum, factus ut eſſet apud Deum; ‘ante omne enim tempus & ſeculum *In prin‘cipio erat Sermo & Sermo erat apud Deum.* Hæc tum Arii tum Socini Hæreſes funditus evertunt verbum Dei in tempore factum eſſe aſſerentium, non ab æterno genitum.

Tom. 2. p. 45. in Joan. Repetitum habes Tom. 2. in Joan. p. 67. Chriſtus ſemper exiſtens. Joan. 1. 1. Chriſtus non eſt factus ut eſſet apud Deum ſed erat ſemper apud Deum. Joan. 1. 1.

His illa conſona ſunt. ‘Sermo in principio ‘non eſt factus: nec enim fuit quando prin‘cipium (h. e. *Pater*) fuerit ἄλογον ſine Ser‘mone aut ratione, quam ob cauſam dicitur, ‘*In principio erat Sermo.* Tom. 3. in Joan. p. 67. Joan. 1. 1.

Poſt pauca ſubtilius obſervat Origenes, ‘Cum Dei vocabulum pro Deo ingenito po‘nitur univerſorum authore, articulum (ὁ) ‘ponit Joannes, reticens illud cum ille Sermo Tom. 2. in Joan. p. 47.

‘Deus

ritus S. Patri ὁμοέσιοι ſeu conſubſtantiales rectiſſimè audiunt.

Si quis plura adhuc Origenis deſideret, conſulat Hom. 3. in Joſuam, Hom. 4. in Eſaiam, in illa Sanctus, Sanctus, Sanctus. Hom. 6. in Jeremiam, nec non Hom. 11. in eundem, ubi hæc reperias quæ huc tranſcribere non piget. 'Puto ergo quod Spiritus S. ita ſanctus ſit, ut non ſit ſanctificatus. Non enim 'ei extrinſecùs & aliundè acceſſit ſanctifica'tio quæ ante non fuerat; ſed ſemper fuit 'ſanctus, nec initium ſanctitas ejus accepit. 'Sola enim Trinitatis ſubſtantia eſt quæ — 'ſui naturâ ſit ſancta.

Spiritus S. ſanctitas abſq; initio.

Ex libris autem contra Celſum, (quod opus cæteris facilè palmam præripit) cùm Græcè extent, & ad manum ſint, nonnulla hiſce accumulare geſtit animus. Nec aliundè meliùs ordiamur quàm ab illis quæ habet in verba Davidis. *Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi*, &c. *unxit te Deus, Deus tuus*, &c. 'Conſidera quod Deum alloquens Propheta, 'cujus ſedes eſt in ſeculum ſeculi, &c. hunc 'Deum ait unctum à Deo qui ſit ipſius Deus, 'unctum autem dilexiſſe juſtitiam, &c. His 'verbis memini me urgere Judæum, cumq; 'non poſſit ſe explicare, reſpondit ſicut de'cebat Judæum. Aiebat (*quem moderni noſtri 'Chriſtomachi imitantur*) ad univerſitatis 'Deum dictum eſſe illud, *Sedes tua Deus in 'ſeculum ſeculi*, &c. Ad Chriſtum verò illud, '*Dilexiſti juſtitiam--propterea unxit te Deus, 'Deus tuus*, &c. Poſt nonnulla ait, magos obtuliſſe

Lib. 1. pag. 43. Edit. Cantabr.

Pſal. 45.

Pſal. 45.

Ib. pag. 46.

obtuliſſe Chriſto Thus ut Deo quem adoraverant.

Illa inſuper Celſo objecta minimè omittenda ſunt. ‘Ne apertè prædicatam in Evangeliis Chriſti Deitatem confiteatur non vult ‘Celſus iis fidem præbere. Ib. pag. 49.

Illa verò accuratius animadvertenda ſunt, cum Celſo objicienti, ‘Quid opus erat Deum ‘mortis metu fugere in Ægyptum? *Reſpondet*, Nimia novitas auxilii, & ſupra modum inſignis non conveniebat ei qui vellet ‘oſtendere ſe hominem à Deo teſtimonium ‘habentem ſed occultare quiddam divinius ‘ſub humanâ ſpecie, id quod erat propriè ‘Dei Filius, Deus Verbum, potentia, Sapientiaque Dei qui vocatur Chriſtus. Ib. pag. 52.

Illa inſuper alio in libro diſerta ſunt. ‘Meritò Judæos accuſamus quòd Chriſtum ‘Deum minimè agnoſcant, cui tot locis ‘Prophetæ teſtantur (ſcil. *Moſes & David*) ‘quod ſit magna virtus Dei. Si enim mandavit Deus & conditæ ſunt creaturæ, quis ‘juxta ſententiam Prophetici Spiritus poſſet ‘eſſe tanti Paterni mandati executor quam ‘ille, ut ſic loquar, animatus ejus Sermo & ‘veritas? Lib. 2. pag. 63. Gen. 1. 3, 6, 26. Pſal. 148. 5. Chriſtus Sermo animatus, ἔμψυχος.

His adjungit quæ Chriſti Domini omnipræſentiam, ac proindè immenſam infinitamque naturam clariſſimè comprobant. ‘Quod verò eum qui in Jeſu locutus eſt illud. ‘*Ego ſum via, veritas & vita*, nè evangelia ‘ſic circumſcribant corpore, ut nuſquam eſſet ‘extra Jeſu corpus & animam; liquet ex Ibid. pag. 64.

'multis locis, quorum aliquot paucos libet 'hic apponere. Baptiſta Joannes prophetans 'jamjam aſtore Dei Filium, non in illo cor- 'pore animâque (*tantum intellige*) ſed præ- 'ſentem ubique dicit de eo ; *In medio veſtrum* '*ſtat quem vos neſcitis, qui poſt me venturus eſt.* 'Siquidem intellexiſſet illic tantummodo 'eſſe Dei Filium ubi corpus ejus cerneretur, 'quomodo dixiſſet illud, *In medio veſtrum* '*ſtat quem vos neſcitis?* In eandem ſententiam citat Mat. 18. 20. & 28. 20.

Joan. 1. 26.

Poſt nonnulla hoc modo Celſum adoritur. 'Quod ſi Celſus credet Evangeliis quoties 'ei videntur contra Chriſtianos facere, eiſ- 'dem aſſerentibus Jeſu divinitatem θειότητα 'nolet credere ; dicemus ei, aut in univer- 'ſum iis non crede--aut, ſi credis omnibus 'quæ continent, admirare verbum Dei factum 'eſſe hominem.

Ibid. pag. 80.

Alio in libro aſſerit Jeſum etiam antea ſumptam humanam naturam eſſe Dei Filium, nec poſt deſcenſum è cœlo tum primùm initium habuiſſe.

Lib. 3. p. 119.

Illa item accuratius animadvertenda ſunt quæ Celſo improperanti Chriſtianos Jeſum mortali corpore conſtantem Deum eſſe credere, reponit Origenes. 'Hunc Jeſum, quem 'jam olim Deum & Dei Filium credimus, 'ſciant eſſe ipſum Verbum, veritatem, ſa- 'pientiam ; cæterùm mortale ejus corpus & 'humanam animam illius Verbi non ſolùm 'communicatione ſed etiam unitione & per- 'mixtione tantum divinitatis aſſumpſiſſe ut

Ibid. p. 136.

Deus

'Deus fieret, h. e. eſſet; Factus enim Deus propriè nullus eſt.

Alibi diſtinguit inter animam Jeſu & Verbi Dei naturam quod Deus eſt. Lib. 4. p. 164. & 170.

In initio libri proximi in hunc modum præfatur. 'Dei ſolius eſt opus per Spiritum ſuum 'unà cum Chriſti Spiritu adire quos dignatur. Lib. 5.

Illa autem quanquam penè elapſa fuerint hoc loco, licèt non ſuo, annotare viſum eſt 'Chriſtus ipſe Deus deſcenſu in mundum non 'mutat locum, nec deſerit ſolium (*nimirùm* '*cœli*) cùm repleat orbem. Quod ipſum probat ex Jer. 23. 24. Act. 17. 28. Lib. 4. p. 164. Chriſtus omnipræſens.

Illa etiam diligenter obſervanda ſunt. 'Ebionæi (*inquit*) Hæretici duorum gene'rum ſunt, vel nobiſcum fatentes Jeſum 'natum à Virgine vel non ita; ſed reliquo'rum more hominum. Quid hoc crimen ad 'Eccleſiam pertinet? *Similiter poſt pauca.* 'Sunt quædam hæreſes quæ non recipiunt 'Paulinas Epiſtolas, ut Ebionæi utriuſque 'generis. Ubi notandum eſt, nonnullos ex Ebionis Hæreſi, Jeſum Chriſtum, non reliquorum more hominum, ſed, ut Sociniani, è Virgine natum, docuiſſe, & eâ ratione Dei Filium nuncupari. Lib. 5. p. 272. & pag. 274. Ebionæi diverſi generis.

In eodem libro poſt haud pauca hæc reperias, lectu digniſſima. 'Nam neque ab æterno genitum '(*Græca habent* τὸ ἀγέννητον, 'h. e. *in tempore*) omniſq; creatæ naturæ pri'mo genitum quiſquam pro dignitate poteſt 'noſſe niſi Pater ipſe qui genuit ὁ γεννήσας 'αὐτὸν πατὴρ (*non eſt igitur abſolutè* ἀγέννητος) Lib. 6. p. 287.

neque

‘neque Patrem quiſquam æque ac ὁ ἔμψυχος ‘λόγος, animatum ejus Verbnm & Sapien-‘tia & veritas. Ubi loci Platonis verba Trinitatem indicantia commemorat à Clemente Alex. ſupra laudata. Quibus addit. His lon-‘gè præſtantiora ex Prophetis hauſimus ipſo ‘Jeſu interpretante ſuis Diſcipulis quid per ‘hæc oracula (*nimirum Scripturæ*) voluerit ‘Spiritus S. qui fuit idem etiam Chriſti Spi-‘ritus.

Poſt nonnulla interpoſita diſertè aſſerit, Lib. 6. p. 317. Chriſtum Verbum & Dei Filium fuiſſe δημιουργὸν mundi opificem καὶ ὡσπερεὶ αὐτουργόν. Verbi autem Patrem cujus mandato mundus ſit per ipſum Filium conditus εἶναι πρώτως δημιουργόν, eſſe primariò demiurgum, ſcil. ratione originis & ordinis; cùm Filius in SS. Trinitate ſecunda perſona ſit à Patre ortum trahens.

Athanaſius ſimiliter αὐτόλογον appellat.

Ibid. p. 320. Illa etiam inter alia diligenter annotanda ſunt. Cùm Celſus aſſeruiſſet Deum Patrem non eſſe λόγῳ ſeu ratione comprehenſibilem; Origenes diſtinguit, & ad hunc modum ſe explicat; ‘Si intelligatur de ratione λόγῳ quæ ‘in nobis eſt hâc Deum non eſſe comprehen-Joan. 1. 1. ‘ſibilem, ſin de illa quæ erat *In principio, & ‘erat apud Deum, & erat Deus*, hâc Deum ‘eſſe comprehenſibilem. Quiſquamne, obſecro Lector, Deum infinitæ immenſæque naturæ comprehendere potis eſt præter Deum, ejuſdem planè immenſæ naturæ participem?

Ib. 322. Nec illa Origene indigna ſunt ‘Quis ‘alius

‘ alius valeat ſervare & ad Deum Opt. Max. ‘ animam humanam adducere, quàm Deus ‘ Verbum, qui cùm in principio apud Deum ‘ eſſet propter carnales caro factus eſt, ut ‘ caperetur ab iis à quibus alioqui nè vide‘ri quidem poterat in quantùm Verbum ‘ erat, & Deus erat. Chriſtus incarnatus eſt ut eſſet viſibilis.

Ibidem poſt nonnulla. ‘ Juxta noſtram do‘ctrinam non ſolus univerſorum Deus & Pater ‘ magnus eſt. Communicavit enim magnitu‘dinem ſuam cum unigenito & primogenito ‘ omnis creaturæ, ut magnitudine quoque ‘ imaginem Parentis referat. Ib. 323.

In ipſo initio libri ultimi Chriſtum orat in hæc verba. *Octavum volumen aggreſſurus precor Deum & Verbum ejus unigenitum ut adſit mihi.* Sed, ut hoc ipſe in libro paſſim habet, ſoli Deo offerendæ ſunt preces. Chriſtus igitur juxta Origenis ſententiam veriſſimè Deus eſt, Lib. 8. Pag. 402, 404, 422.

Deinceps poſt nonuulla Celſum introducit Chriſtianos hiſce verbis accuſantem. ‘ Si nul‘ lum alium iſti præter unum Deum (*nota*) ‘ colerent, videri poterant alios (nimirum ‘ *Gentiles Polytheiſmi reos*) meritò contem‘ nere; nunc cùm recens exortum hunc ‘ (*Chriſtum ut Deum*) immenſis extollant ‘ honoribus, credunt ſe nihil peccare in Deum ‘ quod miniſtro ejus reverentur, ſerviant. ‘ *Quibus regerit Origenes.* Si Celſus intelle‘ xiſſet illud, *Ego & Pater unum ſumus, &* ‘ *illud. Sicut ego & tu unum ſumus,* non pu‘ taſſet nos & alium (*Deum*) colere præter Deum Ib. p. 385. Joan. 10. 30. 17. 22.

'Deum univerſorum Dominum, Ait enim, '*Pater eſt in me, & ego in Patre.* Hinc facilè perſpicias Chriſtum & Dominum univerſorum Patrem juxta Origenis reſponſionem unum eſſe eundemque numero Deum, nimirùm ratione habitâ eſſentiæ,

Chriſtum ut Deum colendo alium Deum non colimus. Vid. Lactant. l. 4. Inſtit. cap. 29.

Quam in rem ibidem addit Origenes. 'Quod ſi quis his motus verebitur nè forte 'transfugiamus ad eos (ſcil. *Patri-paſſianos*) 'qui negant duas eſſe ὑποςάσεις ſubſiſtentias 'Patrem & Filium: audiat illud, *Erat autem 'omnium credentium cor unum & una anima*, ut 'contempletur illud dictum, *Ego & Pater* 'unum ſumus. Hæc, quod probè notandum eſt, unitatem non eſſentiæ (quanquam nec excludant) ſed voluntatis & concordiæ inter Patrem & Filium, denotant. Noluit autem, opinor, Origenes ineffabile, trium Perſonarum in unitate ejuſdem eſſentiæ myſterium dilucidiùs Celſo, Philoſopho Ethnico & Epicuri de grege porco deridendum proponere, ȣ πάντα πᾶσι πάντοτε, ut ſapientiſſimè Nazianzenus. Sed pergamus.

Act. 4. 32.

Joan. 10. 1.

Quo ſenſu Sancti omnes cum Deo. unum ſunt inter ſe & in Deo Ath. de Synod. p. 711.

His annectit Origenes. 'Unum igitur 'Deum Patrem & Filium colimus--& non 'recens exortum, quaſi prius non fuerit, 'nimiis honoribus extollimus: Credimus 'enim ejus verbis dicentis, *Antequam Abra'ham natus eſſet ego ſum.* Itemque, *Ego ſum 'veritas.* Nec eſt quiſquam noſtrum tam illi'berali ingenio ut opinetur quod veritatis 'eſſentia non fuerit ante adventus Chriſti 'tempora. Itaque religioſè colimus Patrem 'veritatis,

Chriſtus ſempiternus & unus cum Patre Deus.

Joan. 8. 58.

Joan. 14. 11.

'veritatis & veritatem Filium, duos quidem 'ſubſiſtentiâ, ὑποςάσει, unum verò concordiâ, 'conſenſu, voluntatiſque identitate: adeò ut 'quicunque vidit Filium, viderit in ipſo 'Deum, ut in imagine Dei.

Cùm aſſerat hoc in loco Origenes Patrem & Filium duos eſſe ὑποςάσει, unum verò concordiâ voluntatiſque identitate, opinatur Huetius eum non modò perſonâ, ſed ſubſtantiâ diſtinxiſſe, vel potius diviſiſſe Filium à Patre. Quâ in re fateor me (doctiſſimi viri pace dictum ſit) diverſum ſentire. In eos enim, ut ſupra videas, diſputat Origenes qui Simonianorum & Patri-paſſianorum hæreſin Chriſtianis impingerent. Verùm enimverò ſi eum in ſenſum reſpondiſſet Origenes, Ethnicorum exceptionem Polytheiſmum improperantium nullo modo diluiſſet quin potius corroboraſſet. Patrem igitur & Filium unum ſubſtantiâ Deum, ὑποςάσει h. e. perſonâ ſeu ſubſiſtentiâ diverſum ſeu diſtinctum profitetur Adamantius. Cùm verò Origenis in Matthæum & Joannem commentarios Græcè ſimul & Latinè ediderit nuperrimè Vir doctus Huetius, nonnulla, è poſterioribus, huc tranſcribere in Lectoris gratiam operæ pretium exiſtimo: Cùm in præfatione in Joannem rectiſſimè obſervat Origenes quòd, 'nullus Evangeliſtarum adeò purè manifeſtavit illius divi'nitatem, ſeu potiùs deitatem, ἀκεραιῶς 'ἐφανέρωσεν αὐτοῦ (e. *Chriſti*) τὴν θεότητα, ſi'cut Joannes.

Origenian. lib. 2. quæſt. 2. cap. 1. §. 3.

Vid. in Johan. pag. 28. & Matthæum. pag. 470. edit. Huet.

Pag. 5. in Joan.

Illa

Ib. pag. 28. Illa imprimis diligenter animadvertenda ſunt quibus eos, ſc. Valentinianos Hæreticos, redarguit, qui exiſtimârunt Filium Dei Verbum paternam prolationem eſſe, & in Syllabis poſitam, & idcircò Hypoſtaſin ſeu ſubſiſtentiam illi non tribuerunt, nec per ſe vivere docuerunt. Necnon illa Chriſti Domini omniſcientiam clariſſimè teſtantia. ‘Si ‘quis (*inquit*) inquirat num omne cognitum ‘Patri---Servator noſter ſciat & cauſa glori‘ficandi Patris (*ut Hæretici prætendunt*) ‘quædam à Patre cognita eſſe dicat quæ Fi‘lius ignoret, (ex gr. *judicii ultimi diem*) ‘ſciendum eſt Servatorem quia ſit veritas ‘nihil veri ignorare---vel oſtendat aliquis ‘quædam eſſe quæ cognoſcuntur quæ verita‘tis appellatione nuncupari non poſſunt, ſed ‘ſupra ipſam veritatem ſita ſunt.

Chriſtus non eſt verbum Syllabicum.

Chriſtus omniſcius.

Suprà pag. 11. Hæc verò quanquam mihi penè exciderunt in memoriam revocanda ſunt cùm illuſtria ſint. ‘Haud ſilentio prætereundum eſt ‘illud verbum quod cum Patre univerſorum ‘Deus eſt. Namque & hoc bonum nullo alio ‘bono inferius eſt.

Chriſtus eſt ſummè bonus.

Ibid. p. 31. Pſal. 2. 7. Poſt nonnulla Chriſti æternitatem diſertiſſimè profitetur. ‘*Filius meus es tu, ego ho‘diè genui te*; dicitur (*inquit*) ad illum à Deo ‘cui ſemper eſt hodie; neque enim eſt veſ‘pera Dei neque mane, meo quidem judicio, ‘ſed tempus (ut ità dicam) ſimul ſe exten‘dens cum illa ipſius ingenita & ſempiterna ‘vita, ipſi dies eſt hodie in quâ genitus eſt ‘Filius; ſic non invento originis ipſius ‘principio ſicut neque diei. Nec

Chriſtus ſempiternus & ſine principio.

Nec illa quæ habet in Phil. 2. 8. negligenda duco. '*Si rapinam arbitratus* fuiſſet Chriſtus eſſe ſe æqualem Deo, nec voluiſſet pro 'mundi ſalute fieri ſervus. Ibid. p. 34. Phil. 2. 6.

Alibi in illa apud Prophetas paſſim occurrentia, *Sermo Domini factus eſt ad Hoſeam*, & *Sermo factus eſt ad Eſaiam*, &c. per quàm egregie notat, 'Ad homines quidem fit ſer'mo ſeu Verbum;ad Deum vero non fit,quaſi 'qui antea non exiſteret apud ipſum, ſed 'eo quòd ſit ſemper cum Patre, dicitur: *Et* '*Sermo erat apud Deum*; non enim factus eſt 'apud Deum; & idem Verbum *erat* de Ser'mone prædicatur,quoniam in principio erat 'etiam tum cum apud Deum erat, neque à 'principio ſeparatus, neque Patrem deſerens. '*Et rurſus*, neque eo quòd non ſit in princi'pio, factus in principio, neque eo quòd non 'ſit apud Deum, factus ut eſſet apud Deum; 'ante omne enim tempus & ſeculum *In prin*'*cipio erat Sermo & Sermo erat apud Deum*. Hæc tum Arii tum Socini Hæreſes funditus evertunt verbum Dei in tempore factum eſſe aſſerentium, non ab æterno genitum. Tom. 2. p. 45. in Joan. Repetitum habes Tom. 2. in Joan. p. 67. Chriſtus ſemper exiſtens. Joan. 1. 1. Chriſtus non eſt factus ut eſſet apud Deum ſed erat ſemper apud Deum. Joan. 1. 1.

His illa conſona ſunt. 'Sermo in principio 'non eſt factus: nec enim fuit quando prin'cipium (h. e. *Pater*) fuerit ἄλογον ſine Ser'mone aut ratione, quam ob cauſam dicitur, '*In principio erat Sermo*. Tom. 3. in Joan. p. 67. Joan. 1. 1.

Poſt pauca ſubtilius obſervat Origenes, 'Cum Dei vocabulum pro Deo ingenito po'nitur univerſorum authore, articulum (ὁ) 'ponit Joannes, reticens illud cum ille Sermo Tom. 2. in Joan. p. 47.

'Deus

'Deus nominatur--Hinc (*inquit*) ſolvi poteſt
'quod perturbat multos profitentes ſe Dei a-
'mantes eſſe ac verentes duos prædicare Deos;
'& propter hoc in falſa & impia dogmata in-
'cidentes;vel negantes proprietatem Filii eſſe
'aliam à Patris proprietate; confitentes
'Deum eſſe cum nomine tantum qui apud
'ipſos Filius appellatur; vel negantes Filii
'θεότητα divinitatem, (*vel potiùs deitatem*) &
'ponentes ipſius proprietatem ἰδιότητα &
'eſſentiam per deſcriptionem κατὰ περιγραφὴν
'(*fortè circumſcriptionem melius reddas*) exi-
'ſtere aliam ἑτέραν à Patre. Dicendum enim
'eſt illis quod αὐτόθεος quidem, hoc eſt, per
'ſe Deus, Deus ille eſt cum articulo; pro-
'pter quod & Servator in precatione ad Pa-
'trem inquit, *Ut agnoſcant te illum ſolum ve-
'rum Deum*: quicquid vero eſt præter hunc
'qui αὐτόθεος dicitur,hoc eſt per ſe,(vel *à ſe*)
'Deus, participatione & communione divi-
'nitatis illius deificatum non ille Deus cum
'articulo, ſed Deus ſine articulo magis pro-
'priè dicendum eſſe, quo nomine primo-
'genitus omnis creaturæ, quippe qui cum
'primus ſit apud ipſum attrahens divinita-
'tem ad ſeipſum, honorabilior eſt reliquis
'Diis---quorum ille Deus (*hoc eſt Pater*) Deus
'eſt. Quæ ſequuntur, cum prolixa ſint,
apud ipſum legas.

Per Proprietatem Subſiſtentiam ſeu Perſonalitatem intelligit.

Chriſtus eſſentia,non eſt alia à Patris eſſentia cum verè Filius ſit Dei. Joan. 17. 3. Solus Pater αὐτόθεος.

In his facilè perſpicias Origenem non modò inter ὀσίαν ſive eſſentiam & ὑπόςασιν vel perſonam, quam ἰδιότητα appellat, contra Patripaſſianos, & Praxianos apertè ſatis diſtin-

Vid. Orig. in Mat. p.470. Huetii.

quere ; verum etiam eorum dogma ut impium & falſum perſtringere, qui ἑτέραν aliam ſive ſpecie, quod portentoſum, ſive numero, quod Ethnicum eſt, à Patre eſſentiam Filio attribuunt : quod Arianorum Hæreſin convellit. Inſuper his minimè obſtantibus ſingularem ὑπεροχὴν ſive excellentiam, Patri ut fonti Deitatis aſſerere, quem ſolum αὐτόθεον agnoſcit ; eo quòd Filius, licet non aliam ſed eandem cum Patre eſſentiam ſortitus ſit, eam tamen habeat non niſi à Patre communicatam & derivatam. Quamquam ut Huetius etiam (Origenis in aliquibus vindex) ingenuè fatetur, ſatis conſtat eum in Trinitate gradus quoſdam ſtatuere, & Filium Patri, non tantùm ratione perſonæ, (quod candidè interpreteris,) ſed etiam eſſentiæ inferiorem, & ut alicubi, ὑποδεέστερον profiteri. Non eſt igitur quòd in vindicando Origene nimiùm cum nonnullis deſudemus; ſed hæc obiter. Redeamus ad penſum. In Mat.p.377. Contra Celſum lib. 8. p. 387.

Illa etiam inter alia memorabilia ſunt. ‘Laudes enarrat (*nimirùm Joannes Baptiſta*) ‘de præcipuâ ac præcedenti ſubſtantia Chri‘ſti, nempè quod tantum virium habet ut ‘inviſibilis etiam ſit divinitate ſuâ, omni ‘homini præſens, & per univerſum orbem ‘extenſus : quod declaratur per illud, *In* ‘*medio veſtri ſtat ille quem vos neſcitis*, &c. ‘Et quoniam Phariſæi ſuſpicabantur eum ‘eſſe (*tantùm*) hominem ſanctum, redar‘guit eorum ignorantiam dicens, *Quem vos* ‘*neſcitis*, &c; Et nè quis ſuſpicetur eum qui Tom. 8. pag. 122. Vid. De permeatione λόγυ p. 128. & 130. Ibid. Joh. 1. 26. Vide pag. 154.

'ſit inviſibilis quique penetret ad omnem
Idem Chriſtus Deus ſimul & homo. 'hominem & ad totum mundum diverſum, 'eſſe ab eo qui humanam ſumpſit carnem, 'addit, *Qui poſt me venturus eſt.*

Tom. 12. pag. 198.

Alibi hæc invenias. *Agnoſcis, ô Fili Dei omnia agnoſcens, quid ſit in homine.*

Tom. 32. p. 416.

Illa inſuper ſuperaddam, 'Vide (*inquit* '*Origenes*) ne fortè hanc glorificationem Fi-'lius hominis habeat quia unitus ſit ſapien-'tiæ, cùm ipſe ſit αὐτοσοφία, vel, ut vocant 'αὐτολογὸς. In hiſce verò, cùm non ex Græco fonte ſed ex interpretatione Latinâ profluunt, non immorabimur: quanquàm αὐτοσοφία & αὐτόθεος parùm diſtent, & αὐτογὸς majus aliquid ſonet quàm αὐτόθεος.

Athanaſ. cont. Gent. Chriſtum αὐτολό-χατον appellat.

Origeniana hæc claudant illa Origenis quæ de libris ejus in Epiſtolam ad Hebræos memorat in Apologiâ Pamphilus. 'Cùm 'diſcutitur hoc quod dictum eſt de Filio Dei 'quod ſit ſplendor gloriæ (h. e. *Patris*) 'neceſſariò videtur ſimul diſſerendum & 'illud quod in Sapientiâ Solomonis refertur,

Sapient. cap.

'ſcilicet, *Vapor eſt virtutis Dei* & aporrhœa 'omnipotentis Dei gloriæ puriſſima. Opor-'tet autem ſcire nos quod per ineffabilia quæ-'dam & ſecreta ac recondita quodammodo 'vim ſibi faciens Scriptura S. conatur homi-'nibus indicare & intellectum ſuggerere 'ſubtilem vaporis nomen inducens. Quod 'ideò de rebus corporalibus aſſumpſit ut vel 'ex parte aliquâ poſſimus intelligere quo-'modo Chriſtus qui eſt Sapientia ſecundum 'ſimilitudinem ejus vaporis qui de ſubſtan-

tiâ

'tiâ aliquâ corporali procedit, ſic etiam ipſe 'ut quidam vapor exoritur de virtute ipſius 'Dei: ſic & ſapientia ex eo procedens ex 'ipsâ ſubſtantiâ Dei generatur.--Quæ utræq; 'ſimilitudines manifeſtiſſimè oſtendunt com- 'munionem ſubſtantiæ eſſe Filio cum Patre. 'Aporrhœa enim ὁμοέσιος videtur, id eſt, 'unius ſubſtantiæ cum illo corpore ex quo 'eſt vel Aporrhœa vel vapor. Hæc Pamphi- 'lus.

Chriſtus eſt ὁμοέσιος Patri, id eſt unius ſubſtantiæ cum illo. Euſebius Cæſar. immeritò agnoſcit vocabulum ὁμοέσιος à patribus uſurpatum eſſe. Socrat. Hiſt. lib. 5. in fine.

CAP. II.

TERTULLIANUS.

SPectatiſſimæ huic Teſtium nubi ſe adjungat Vir omnifariam doctus Tertullianus; in cujus celeberrimo pro Chriſtianis Apologetico adverſus Gentes Polytheiſmi reas hæc legimus.

'Quod colimus nos Deus unus eſt, qui 'totam molem iſtam (hoc eſt, *Mundum*) de 'nihilo expreſſit. *Poſt haud pauca interjecta.* 'Vulgus jam ſcit Chriſtum ut aliquem ho- 'minum, qualem Judæi judicaverunt, quo 'facilius quis nos (*Chriſtianos*) hominis 'cultores exiſtimaverit. (*Hæc vulgi & Gen- 'tilium de Chriſto opinio.*) Verum neque de 'Chriſto erubeſcimus (*homine* ſcil.) neque 'de Deo aliter præſumimus. Neceſſe eſt igi- 'tur pauca de Chriſto (*dicere*) ut de Deo 'totum.---Sed prius ſubſtantiam (h. e. *di-*

Apologet. cap. 17. Edit. Junii

Cap. 21.

Chriſtiani non ſunt hominis cultores ſed Dei.

'*vinam ejus naturam*) ediſſeram, & ita nati-
'vitatis qualitas intelligetur. Jam ediximus
Verbum in principio.
'Deum univerſitatem hanc mundi Verbo &
'ratione & virtute molitum. Apud veſtros
'quoque ſapientes λόγον, id eſt, Sermonem
'atque rationem conſtat artificem videri
'univerſitatis. Hunc enim Zeno determinat
'factitatorem, qui cuncta in diſpoſitione
'formaverit, eundem & Fatum vocari, &
Fatum, h. e. Verbum.
'Deum, & animum Jovis.---Hæc Cleanthes
'in Spiritum congerit, quem permeatorem
'univerſitatis affirmat: & nos etiam ſermo-
'ni atque rationi itemque virtuti per quæ
'omnia molitum Deum ediximus propriam
'ſubſtantiam Spiritum (vel *Spiritus*) inſcri-
'bimus, cui & ſermo inſit pronuncianti, &
'ratio adſit diſponenti, & virtus præſit per-
'ficienti. Hunc (*inquit*) ex Deo prolatum
'didicimus, & prolatione generatum, &
'idcircò Filium Dei & Deum dictum ex
'unitate ſubſtantiæ: nam & Deus Spiritus.
Ubi advertendum eſt Tertullianum ſuo, & Chriſtianorum omnium quorum cauſam agit, nomine, clariſſimè profiteri, Chriſtum ex Deo Patre generatum eſſe, & idcircò Filium Dei, & Deum dici, idque ex unitate ſubſtantiæ, h. e. ut jam loquimur, unum & eundem numero cum Patre quoad ſubſtantiam Deum. 'Deus enim (*inquit*) Spiritus 'eſt, Spiritus autem indiviſibilis eſt. Unde ſequitur Dei ſubſtantiam in plures Deos dividi non poſſe, (quod Gentilium polytheiſmum, à Tertulliano hic loci refutatum, ne-

ceſſario

ceſſario inferret) ac proindè Deum Patrem & Deum Filium non duos ſed unum Deum eſſe, ex unitate ejuſdem numero ſubſtantiæ. Ineffabile hoc myſterium ſimilitudine quâdam quantùm poterat, illuſtrare nititur Tertullianus, in hæc verba. ‘ Etiam cùm radius ‘ ex ſole porrigitur, portio ex ſummâ: ſed ‘ Sol erit in radio, quia Solis eſt radius, nec ‘ ſeparatur ſubſtantia (*ut omnis propriè dicta* ‘ *portio)* ſed extenditur. Ita de Spiritu Spi‘ ritus, & de Deo Deus --- & quod de Deo ‘ profectum eſt Deus eſt & Dei Filius, & ‘ unus ambo. Intellige naturâ, ſeu unitate ſubſtantiæ, ut ſupra. Perſonâ enim Pater & Filius plures ſunt, non tam unus quàm unum ambo, ut infra ex Tertulliano diſcas. Vid. Clem. A. ſupra.

Idem in libro contra Judæos Chriſtum non nudum hominem ſed Deum apud omnes ubique gentium habitum fuiſſe ſæpiùs teſtatur.

‘ Chriſti regnum & nomen(*inquit*) ubique ‘ adoratur, omnibus Rex, omnibus Deus & ‘ Dominus eſt. Cap. 7. contra Judæos.

Iterum. ‘ Chriſtus accepit ſpolia Samariæ, ‘ ipſos Magos, qui cùm illum cognoviſſent, ‘ & muneribus honoraſſent, quaſi Deum & ‘ Regem, ſpolia facti ſunt Samariæ, h. e. idololatriæ, quo crimine civitas illa ob vitulorum cultum infamis erat. Ib. cap. 9.

Et paulò poſt. ‘ Qui ad Moſen loquebatur, ipſe erat Dei Filius, qui & ſemper vi‘ debatur. Deum enim *Patrem nemo vidit &* ‘ *vixit:* & ideò conſtat ipſum Dei Filium Ib. cap. 9. Joan. 1.18.

'Moſi eſſe locutum, & dixiſſe ad populum,
Exod. 32. 34. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*, &c. h. e. Joſhuam, prout interpretatur Tertullianus.

Ibid. cap. 12. Iterùm. 'Aſpice univerſas nationes de 'voragine erroris humani exinde emergentes 'ad Dominum Deum creatorem, & ad Deum 'Chriſtum ejus.

De Orat. c. 2. Alio in libro hæc habet. 'Dicendo Pa-'trem (nimirùm *Pater noſter qui es*, &c.) 'Deum quoque cognominamus.---In Patre
Joan. 10. 30. 'Filius invocatur. *Ego* enim (inquit) *& Pa-'ter unum* ſumus. Tertulliani igitur ſententiâ Patrem invocando Filium etiam invocamus, cùm unum ſint. Invocatio autem apud Patres certiſſimum deitatis argumentum eſt.

Cap. 3. Ad Martyres. 'Agonothetes Deus vivus 'eſt. Xiſtarches Spiritus S. Epiſtates veſter 'Chriſtus Jeſus. In cæteris Tertulliani Paræneticis haud aliquid, ni malè memini, occurrit præſenti argumento affine.

Cap. 13. Tranſeamus ad Polemica. Incipiamus à *Præſcriptionibus*, ubi contra profanas Hæreticorum novitates antiquam primævæ fidei
Confer de Virg. veland. cap. 1. regulam proponit hiſce verbis. 'Credimus 'unum omninò Deum eſſe, nec alium præ-'ter mundi conditorem, qui univerſa de 'nihilo produxerit per Verbum ſuum pri-
Prov. 8. 23. 'mo omnium emiſſum (h. e. ante omnes creaturas, quia, ab æterno.) 'Id verbum Fi-'lium ejus appellatum in nomine Dei variè 'viſum Patriarchis, in Prophetis ſemper 'auditum, poſtremò delatum ex ſpiritu Dei

Patris

'Patris & virtute in Virginem Mariam, car-
'nem factum in utero ejus-- Miſiſſe vicariam
'vim Spiritus S. qui credentes agat, &c.

Poſt nonnulla. 'Johannes (*inquit*) in Cap. 33.
'Epiſtolâ eos maximè Antichriſtos vocat
'qui non putarent Jeſum eſſe Filium Dei.
'Hoc Hebion vindicavit: nimirùm negando
Chriſtum eſſe Filium Dei ex Deo genitum,
ſed tantùm gratiâ, ut alii Sanctorum, re-
generatum & adoptatum.

Poſt nonnulla de Carpocrate hæc habet.
'Docuit Chriſtum hominem tantummodò
'genitum eſſe, ſed præ cæteris juſtitiæ cultu
'& vitæ integritate meliorem. Addit ibi-
dem Montaniſtas κατ' Æſchinem (non o- Cap. 52.
mnes Montani ſequaces, quod probè notan-
dum eſt) docuiſſe, Chriſtum ipſum eſſe Fi-
lium & Patrem.

Illa verò diligenter animadvertenda ſunt; Cap. 53.
'Accedit his (*ait Tertullianus*) Theodotus,
'Hæreticus Byzantinus, qui poſtea quàm
'Chriſti pronomine comprehenſus (*eundem*)
'negavit (vel *negâſſet*) in Chriſtum blaſphe-
'mare non deſtitit: Doctrinam enim intro-
'duxit quâ Chriſtum hominem tantummo-
'do diceret, Deum autem illum negaret. Ex
'Spiritu S. quidem natum ex Virgine, ſed Quam ſimilis
'hominem atque nudum, nullâ aliâ præ cæ- huic Theodo-
'teris niſi ſolâ juſtitiæ authoritate præcellen- to Socinus.
'tem. Si unum noris, &c.

In libro de baptiſmo hæc reperias. 'Nos Cap. 1.
'piſciculi ſecundum ἰχθὺν noſtrum Jeſum
'Chriſtum in aquâ naſcimur. Ἰχθὺς eſt

Acroſtichon Sibyllinum ex primoribus hujus ſententiæ literis compaginatum, ſcil. Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ.

Cap. 6. Ibidem. *Ablutionem delictorum fides impetrat obſignata in Patre, Filio & Spiritu S.*

Cap. 7. Illa autem quæ in libro adverſus Hermogenem, materiam Deo coæternam introducentem, diſputat, ſeriò perpendenda ſunt. 'Deus 'non capit diminutionem aut ſubjectionem, '&c. neque enim proximi erimus opinioni'bus nationum, quæ ſi quando coguntur 'Deum conſiteri, tamen & alios infra illum 'volunt. Ex his rectiſſimè colligas eos nationibus proximos accedere qui Chriſtum Deum, imò & Patri coæternum, agnoſcunt; veruntamen Patri quoad ſubſtantiam Deitatis inferiorem & ſubjectum.

Vid. Curcellæum cont. Mareſium diſp. de Trinitate.

De carne Chriſti cap. 3. Alio in libro Marcionem Chriſti Domini & Dei incarnationem negantem in hunc modum exagitat. 'Non potes (*inquit*) di'cere ſi natus fuiſſet, & hominem verè in'duiſſet, Deus eſſe deſiiſſet; amittens quod 'erat, dum aſſumit quod non erat. Pericu'lum enim ſtatus in Deo nullum eſt. Id ip'ſum probat ex Angelis, quorum pedes 'lavit Abraham, quorum manibus ereptus 'eſt Lot. Si igitur (*inquit*) Angeli converſi 'in corpulentiam humanam, Angeli nihilo'minus permanerent, hoc tu Deo aufers, 'quaſi non valuerit Chriſtus verè hominem 'indutus, Deus perſeverare.

Angeli corpulentia humanâ induti.

Cap. 6. Poſt nonnulla interjecta. 'Utriuſque 'ſubſtantiæ cenſus hominem & Deum exhi-

'buit,

'buit. Hinc natum, indè non natum (h. e. 'ex *homine Matre.*) Quæ proprietas condi- 'tionum divinæ & humanæ, æquâ utique 'naturæ veritate cujuſque diſpuncta eſt ea- 'dem fide Spiritûs & carnis.

Deus æquè ut homo Chriſtus.

Capite præcedente poſt nonnulla interpo- ſita. 'Tunc quoque inter Angelos illos ipſe 'Dominus apparuit Abrahamo ſuo ſine na- 'tivitate cum carne ſcil. pro eâdem cauſæ di- 'verſitate : h. e. cum carne aſſumptâ, non natâ.

Ibid. cap. 5.

Iterùm. 'Infra Angelos diminutus dum 'homo fit. Quâ autem Spiritus Dei, & vir- 'tus altiſſimi, non poteſt infra Angelos ha- 'beri, Deus ſcil. & Dei Filius.

Cap. 14.

Alio in capite. 'Non competebat ex ſe- 'mine humano Dei Filium naſci---Ergo jam 'Dei Filius ex Patris Dei ſemine, id eſt, Spi- 'ritu, caro ei ſola erat ex hominis carne ſu- 'menda.

Ibid. cap. 18.

Et capite proximo. 'De Domino ſcri- 'ptum eſt ſingulariter, & ex Deo natus eſt. 'Meritò : quia Verbum Dei (*erat*) & cum 'Verbo Dei Spiritus (h. e. *ipſa Spiritualis* '*Dei eſſentia, ſeu ſubſtantia*) & in Spiritu 'Dei Virtus, & quicquid eſt Dei Chriſtus.

Alibi. 'Sermo Deus in effigie Dei conſti- 'tutus *Non rapinam exiſtimavit pariari* (h. e. parem ſeu æqualem eſſe) *Deo.*

De Reſur. carnis cap. 6.
Phil. 2. 8.

Alio in libro Marcionem duos Deos intro- ducentem pluribus redarguens, tandem con- cludit. 'Stabat igitur fides ſemper in crea- 'tore & Chriſto ejus, ſed converſatio &

Lib. 1. cap. 2.
Ib. cap. 21.

Sub veteri teſtamento ſtabat fides in creatore & Chriſto ejus.

'diſciplina (h. e. *Legis Moſaicæ obſervatio*) 'nutabant. Memineris, Lector, eo in libro Tertullianum unicum Deum ex profeſſo contra Marcionem tueri, ſtante nihilominùs, ut ſemper in Eccleſiâ, immotâ in Deo creatore, & etiam in Chriſto fide. Deus igitur creator cum Chriſto unus Deus, imò unicus eſt, in quem credimus.

Lib. 2. adver. Marc. cap. 16 & cap. 27.

Alibi. 'Benè quod Chriſtianorum eſt, 'etiam mortuum Deum credere. *Et poſt* '*haud pauca*, Quæcunque (*inquit*) ut indi'gna (ſcil. *Deo*) reprehenditis deputabun'tur in Filio---miſcente in ſemetipſo homi'nem & Deum, in virtutibus Deum, in pu'ſillitatibus hominem, ut tantum homini 'conferat, quantum Deo detrahit; totum de'nique Dei mei penes vos dedecus Sacramen'tum eſt humanæ ſalutis. Deus puſillus in'ventus eſt, ut homo maximus fieret. 'Qui talem Deum dedignaris, neſcio an ex 'fide credas Deum crucifixum.

Lib. 3. contra Mar. cap. 6.

Alio in libro in illa Eſaiæ diſſerens, *Dereliquiſtis Dominum*, &c. hoc modo Marcionem alloquitur. 'Si verò non in Chriſtum 'ſed in ipſum potius Deum (h. e. *Patrem*) 'volueris referre---nolens etiam retro Ser'monem & Spiritum & Subſtantiam crea'toris eſſe Chriſtum ejus, concedas neceſſe 'eſt eos qui Patrem non agnoverint nec Fi'lium agnoſcere potuiſſe, per ejuſdem (*nu*'*mero* ſcil.) ſubſtantiæ conditionem, cujus 'ſi plenitudo intellecta non eſt, multò magis 'portio certè, quâ plenitudinis conſors. Ubi diligenter

Sub veteri Teſtamento.

diligenter advertendum eſt Tertullianum clariſſimè docere Deum Patrem & Chriſtum ejus *ejuſdem ſubſtantiæ* eſſe; non genere tantùm, aut ſpecie; quod Deorum pluralitatem, in Marcione ibidem reprehenſam, facilè (ut Dialecticorum Pueri, vel recentiſſimi intelligunt) admitteret ; ſed ejuſdem nùmero ſubſtantiæ; adeò ut ex ignorantiâ Patris Filii etiam, juxta ejus ſententiam, certiſſimè conſequatur. Notandum inſuper, Tertullianum Chriſtum ità portionem (catachreſticè ſatis ; cùm omnis portio diviſa ſit & ſeparata ab eâ re cujus eſt portio, quod de Filio Dei infrà diffitebitur) appellare, ut etiam plenitudinis, h. e. Deitatis, non modò participem agnoſcat, ſed etiam conſortem.

Ibidem Marcionem inceſſens. 'Chriſtus 'Marcionis non erat quod videbatur--caro, 'nec caro, homo, nec homo. Proindè Deus 'Chriſtus, nec Deus. Cur enim non etiam 'Dei phantaſma portaverit ?

Alio in libro contra Marcionem hæc habet. 'Tetigit Chriſtus leproſum, à quo etſi homo inquinari potuiſſet, Deus utique non 'inquinaretur. *Statim addit.* Quaſi non audeam & Verbum in ſubſtantiam creatoris 'vindicare.

Lib.4.in Marc. cap. 9. & cap. 20.
Chriſtus Deo conſubſtantialis.

Iterum poſt haud pauca. '*Omnia ſibi tradita* (dicit Chriſtus) *à Patre.* Credas ſi 'creatoris eſt Chriſtus cujus omnia, qui non 'minori ſe tradidit, omnia Filio Creator 'quæ per eum condidit; ſcil. per Sermonem ſuum.

Ibid. cap. 25. Matth. 11.27.
Chriſtus non eſt minor Patre, ſcil. eſſentiâ.

Alio

Lib. 5. adv. Marcion. cap. 8.

Alio in libro hæc occurrunt maximè notanda. 'Chriſtum in floris figurâ oſtendit 'ſcriptura de radice Jeſſe---in quo Chriſto 'conſiſtere haberet tota ſubſtantia Spiritûs; 'non quaſi poſtea obventura illi qui ſemper 'Spiritus Dei fuerit, ante carnem quoque: 'nè ex hoc argumenteris prophetiam ad 'eum Chriſtum pertinere qui ut homo tan'tum ex ſolo cenſu David poſtea conſecutu'rus ſit Dei ſui Spiritum.

Tota ſubſtantia Spiritûs in Chriſto & ante incarnationem contra Socinum & Samoſatenum.

Ibid. cap. 20. Phil. 2. 6.

His illa tantum adjiciam quæ commentatur in illa Apoſtoli Pauli ad Philippenſes, *In effigie Dei conſtitutus & figura inventus ut Homo.* 'Æque (*inquit*) non erit Deus Chri'ſtus verè, ſi nec homo verè fuit in effi'gie hominis conſtitutus. Utrobique enim 'veritas neceſſe habebit excludi, ſi effigies '& ſimilitudo & figura phantaſmati vindi'cabitur. Quod ſi in effigie & imagine quâ 'Filius Patris verè Dei prædicatus eſt, etiam 'in effigie & imagine hominis quâ Filius ho'minis verè hominem inventum---ſic & 'Deus inventus eſt per virtutem ſicut homo 'per carnem. Sicut igitur Chriſtus veriſſimè, certiſſimè & ſubſtantialiter homo erat, eâdem ratione, ſi Tertulliano fides adhibenda ſit Deus exiſtimandus eſt. Viderint igitur Ariani, Sociniani, &c. an non Deitatis, ut Marcion Humanitatis, in Chriſto phantaſma introduxerint.

Vid. pag. priorem.

Carmina jam Tertulliani adverſus Marcionem, ſed pauca, recitabo. De Chriſto agens, *Illius* (ſcil. *Patris*) *hæc virtus, ſapientia, gloria, Verbum.* *Filius*

Lib. 4. Car.

Filius immenſo genitum de lumine lumen. Alibi.

Hic Deus, hic & homo verus, verumque locutus.
De Patre principium, genitum de lumine lumen.
Spiritus & Verbum Patris ſub imagine Virtus.
Cum Patre ſemper erat, unitus gloria &
ævo.

Lib. 5. Ibid. Lumen de lumine Symb. Nicæn.

In libro autem contra Praxean avitam. Eccleſiæ fidem prolixè doctiſſimeque defendit. Praxeas hic erat Patro-paſſianus, aſſeruitque Patrem pro nobis in cruce paſſum fuiſſe, cum enim eundem (h. e. eandem perſonam) Patrem, Filium & Spiritum S. falsò & Hæreticè docuiſſet, erroris conſequentiâ obſtrictus Patrem pro nobis crucifixum fuiſſe, reſurrexiſſe & ad ſui dextr.m ſeſſiſſe inſulſius affirmavit.

Uſque adeò manifeſtè Chriſtus Deus eſt ut quidam Hæretici crediderint ipſum eſſe Deum Patrem. Novat. de Trin. cap. 17.

'Affectavit Diabolus aliquando veritatem 'defendendo concutere, (ſcil. *in Hæreticis.*) 'Unicum Dominum vindicat omnipoten'tem mundi conditorem ut & de unico '(ſcil. *Deo*) hæreſin faciat. Nimirùm negando diſtinctionem perſonarum Patris, Filii & Spiritûs S. in unitate ejuſdem infinitæ atque incomprehenſibilis eſſentiæ.

V. Præſcript. cap. ult. Cap. 1. Similiter agunt Ariani & Sociniani.

'Itaque (*inquit Tertullianus juxta Praxean*) 'poſt tempus Pater natus, & Pater paſſus: 'ipſe Deus Dominus omnipotens (h. e. *Pater*) 'Jeſus Chriſtus prædicatur. Nos verò & 'ſemper (nimirùm *antequàm errores Monta'ni imbibiſſet*) & nunc magis ut inſtructio'res per Paracletum deductorem omnis ve'ritatis, unicum quidem Deum credimus: Sub

Cap. 2.

Tertullianus Trinitatis fidem ſemper tenuit, non à Montano didicit.

'poteſtatis, quia unus Deus (imò *ut ſuprà* 'unicus) ex quo & gradus illi & formæ & 'ſpecies in nomine Patris & Filii & Spiritûs 'S. deputantur.

Trinitas unius ſubſtantiæ vel ὁμοούσιος eſt.

Per gradum, perſonarum in Trinitate ordinem ſignificare videtur, cùm Pater prima ſit perſona, Filius ſecunda, Spiritus S. tertia. Subſtantia enim non recipit magis aut minùs, & divinitas, (ut alibi diſputat contra Hermogenem) gradum non habet, utpote unica. Qui in eſſentiâ divinâ gradus collocant, plures Deos non tantùm numero, ſed etiam ſpecie differentes (quod Chriſtianis auribus horrendum ſonat) introducunt.

Cap. 3.

Idem in proximo capite pluribus perſequens, 'ſimplices, imprudentes & Idiotas 'appellat qui quoniam regula fidei (*ſupra* '*recitata*) à pluribus Diis ſeculi ad unicum 'verùm Deum transfert, non intelligentes 'unicum quidem ſed cum ſuâ οἰκονομίᾳ eſſe 'credendum, exhorreſcunt ad οἰκονομίαν: 'numerum & diſpoſitionem Trinitatis di'viſionem præſumunt unitatis (h. e. *eſſentiæ* '*divinæ quæ ſummè una eſt*) quando unitas 'ex ſemetipsâ derivans Trinitatem, non 'deſtruatur ab illâ ſed adminiſtretur. Itaque 'duos & tres (*Deos* ſcil.) jam jactitant à no'bis prædicari, ſe vero unius Dei cultores. Ex his facilè perſpicias juxta Tertulliani ſententiam numerum ſeu pluralitatem perſonarum in Trinitate diviſionem unitatis eſſentiæ minimè inferre, ac proindè fruſtrà Hæreticos Catholicis ob Trinitatis fidem

Unitas divinæ eſſentiæ excludit ſeculi Deos, non Filium aut Spiritum. Trinitas perſonarum non deſtruit unitatem Deitatis.

trium

trium Deorum cultum nomine criminis intentáſſe; quos quicquid ſibi videntur, ſimplices, imprudentes & idiotas appellat.

His poſt pauca addit. 'Si verò & Filius 'fuerit ei cujus Monarchia ſit (ut olim Conſtantino Imperatori aut Theodoſio cum Filiis Auguſtis) 'non ſtatim eam & Mo-'narchiam eſſe deſinere ſi particeps ejus ad-'ſumatur, & Filius. Se proindè illius eſſe 'principaliter à quo communicatur in Fi-'lium, & dum illius eſt, proindè Monar-'chiam eſſe quæ à duobus tam unicis conti-'netur.

Vid. Lactant. lib. 4. cap. 29. in fine.

Ibidem. 'Quale eſt ut Deus diviſionem & 'diſperſionem pati videatur in Filio & Spi-'ritu S. ſecundum & tertium locum ſortitis 'tam conſortibus ſubſtantiæ Patris, &c.

Pater, Filius & Spiritus conſortes ejuſdem ſubſtantiæ indiviſæ.

Cap. 4.

In proximo capite. 'Filium (*inquit*) non 'aliundè deduco ſed de ſubſtantia Patris -- 'hoc mihi & in tertium gradum dictum ſit, 'quia Spiritum non aliundè puto (*forte peto*) 'quam à Patre per Filium.

Filius ὁμοούσιος Patri. Spiritus à Patre per Filium.

Cap. 5.

His ſubjungit quæ accuratiùs animadvertenda ſunt. 'Aiunt quidem (vel *quidam*) & 'geneſin in Hebræo (quod apertè falſum eſt, nec Tertulliano approbatum) ità inci-'pere. *In principio Deus fecit ſibi Filium.* Hoc 'ut firmum non ſit, alia me argumenta de-'ducunt ab ipsâ Dei diſpoſitione, quâ fuit 'ante mundi conſtitutionem (*quid hæc ſibi* '*volunt ſtatim explicat*) ad uſque Filii ge-'nerationem. Ante omnia enim Deus erat 'ſolus, ipſe ſibi & mundus, & locus, & omnia.

Fecit cœlum & terram. Gen. 1. 1.

'omnia. Solus autem quia nihil extrinſecus '(*nota*) præter illum. Cæterùm nè tunc 'quidem ſolus, habebat enim ſecum quam 'habebat in ſemetipſo, Rationem ſuam 'ſcilicet: Rationalis enim Deus & Ratio in 'ipſo prius, & ita ab ipſo omnia. Quæ Ratio 'ſenſus ipſius eſt. Hanc Græci λόγον dicunt, 'quo vocabulo etiam Sermonem appellamus '---Poſſum itaque non temerè præſtruxiſſe, '& tunc Deum ante univerſorum conſtitutio-'nem ſolum non fuiſſe, habentem in ſemetipſo 'proindè rationem, & in ratione Sermonem. In potentiâ ſcil. Sermonem, ſed rationem actu.

Pater nunquam ſolus ſine Filio.

Poſt nonnulla. 'Ergo, inquis, das aliquam 'ſubſtantiam eſſe Sermonem Spiritu & So-'phiæ traditione conſtructam? Planè: non 'vis enim eum ſubſtantivum haberi in re 'per ſubſtantiæ proprietatem ut res & per-'ſona (*quo vocabulo ſæpiùs hîc utitur*) quæ-'dam videri poſſit, & ita capiat ſecundus à 'Deo conſtitutus duos efficere Patrem & Fi-'lium, Deum & Sermonem. Hæc adverſus Praxean Verbi perſonalitatem & ſubſtantialitatem negantem.

Cap. 7. Sermo ſubſtantia.

Verbum perſona.

In proximo capite hæc occurrunt. 'Pro-'latum dicimus Filium à Patre, ſed non ſe-'paratum (unum igitur numero ſive ſubſtantiâ cum patre eſt) Protulit enim Deus 'Sermonem, quemadmodum etiam Para-'cletus (h. e. Spiritus S. vel fortè Montanum intelligit hâc in re Catholicum) docet, 'ſicut radix fruticem, & fons fluvium & ſol

‘ radium---nec frutex tamen à radice, nec flu-
‘ vius à fonte, nec radius à ſole diſcernitur
(h. e. ſeparatur ut naturâ vel numero aliud)
‘ ſicut nec à Deo Sermo. Igitur ſecun-
‘ dum horum exemplorum (quibus uni-
‘ verſi Patres Trinitatem illuſtrant) formam
‘ profiteor me duos dicere Deum & Sermo-
‘ nem ejus, Patrem & Filium ejus. Nam &
‘ radix & frutex res duæ ſunt ſed cohæren-
‘ tes, & fons & flumen duæ ſpecies, ſed in-
‘ diviſæ. Hæ ſimilitudines unitatem nume-
ricam eſſentiæ divinæ in Trinitate perſo-
narum deſignant. Memineris autem omne
ſimile, præſertim naturæ infinitæ compara-
tum, longè diſſimile eſſe, cùm inter finitum
& infinitum, creatum & increatum, nulla
eſſe poterit, adæquata ſaltem, proportio.

Vid. Ruffinum in Symbol. Apoſt.

Ibid.

Pergit Tertullianus. ‘Omne quod prodit
‘ ex aliquo ſecundum ſit ejus neceſſe eſt de
‘ quo prodit; non ideò tamen eſt ſepara-
‘ tum. Secundus autem ubi eſt duo ſunt, &
‘ tertius ubi eſt tres ſunt. Ne verò putemus
per primum, ſecundum, tertium, Tertul-
lianum, non procedendi in divinis perſonis
ordinem, ſed exiſtendi temporalem ſucceſ-
ſionem, (quod Filii & Spiritûs S. cum Pa-
tre coæternitatem labefactaret) inſinuaſſe;
verbis conceptis paulò ſuperiùs aſſerit. ‘*Ser-*
‘ *mo in Patre ſemper, ſicut dicit, Ego in Pa-*
‘ *tre*, &c. Et apud Deum ſemper; ſicut
‘ ſcriptum eſt, *Et Sermo erat apud Deum.* Et
‘ nunquam ſeparatus (ut omne in tempore fa-
ctum) ‘ à Patre, aut alius (h. e naturâ, non
perſonâ

Joan. 14. 1.
Joan. 1. 1.

perſonâ, uti Praxeas docuit) quia, *Ego &* Joan. 10. 30.
'*Pater* unum ſumus. Hæc erit probola veri-
'tatis, &c.

Iterùm. 'Ecce dico alium eſſe Patrem & Cap. 9.
'alium Filium & alium Spiritum. Malè ac-
'cipit idiotes quiſque aut perverſus (audiant hæc Antitrinitarii, qui cum ratione contra fidem inſaniunt, & rationalium potiùs quàm credentium nomen affectant) 'hoc dictum quaſi diverſitatem ſonet (ſcil. '*eſſentiæ divinæ in Trinitate*) & ex diverſitate ſeparationem protendat. Neceſſitate 'autem hoc dico cum eundem (h. e. *eandem* '*perſonam*) Patrem & Filium & Spiritum 'S. contendant monarchiæ (h. e. *Dei unitati*) 'adulantes adverſus œconomiam (h. e. *Trinitatem.*) Non tamen diverſitate (*inquit*) 'alium Filium à Patre dico, ſed diſtributione, nec diviſione, ſed diſtinctione, quia 'non ſit idem (*genere maſculino*) Pater & 'Filius. Hiſce verbis liquet Tertullianum in SS. Trinitate perſonarum diſtinctionem & diſtributionem ſeu numerum agnoſcere: ullam autem naturæ ſive ſubſtantiæ diverſitatem aut diviſionem omnimodò diffiteri.

Hæretici Dei unitati adulantes Trinitatem oppugnant, in qua diſtinctio reperitur, non diviſio.

Capite proximo. 'Habeat neceſſe eſt 'Pater Filium ut Pater ſit, & Filius Pa-'trem ut Filius ſit. Aliud autem eſt habere, 'aliud eſſe: Si ipſe ero Filius qui & Pater; 'jam non habeo Filium, ſed ipſe ſum Filius. Ubi plura in hanc rem egregiè ſcripta.

Diſtinctio perſonalis ſeu relativa.

Alibi poſt alia ex Scripturis ad ſtabilien- Cap. 11.
dam Patris & Filii non diviſionem ſed di-

ſtinctionem adducta, hæc habet. ‘Scripturæ ‘omnes & demonſtrationem & diſtinctio-‘nem Trinitatis oſtendunt.---Eſt ipſe qui ‘pronunciat Spiritus, & Pater ad quem pro-‘nunciat, & Filius de quo pronunciat. Sic ‘& cætera quæ nunc ad Patrem de Filio, ‘vel ad Filium; nunc ad Filium de Patre, ‘vel ad Patrem; nunc ad Spiritum pronun-‘tiantur, unamquamq; perſonam in ſuâ pro-‘prietate conſtituunt. *Quibus ſtatim addit.* ‘Si te adhuc numerus ſcandalizat Trinitatis, ‘quaſi non connexæ in unitate ſimplici (Quid hoc ſonat aliud quàm in unitate, ut Logici loquuntur, numericâ, vel eâdem numero ſubſtantiâ?) ‘Interrogo quomodo uni-‘cus & ſingularis (h. e. *perſonaliter*) plura-‘liter loquatur, *Faciamus hominem ad imagi-‘nem* (non meam ſed) *noſtram.* Et non *fa-‘ciam* ſed *faciamus.* Et in ſequentibus, *Ecce ‘Adam factus eſt tanquam unus ex nobis.* Fal-‘lit aut ludit (*inquit*) ut cùm unus & ſo-‘lus & ſingularis eſſet (nimirùm *perſonali-‘ter ut docuit Praxeas*) numeroſè loquere-‘tur, aut nunquid Angelis loquebatur, ut ‘Judæi interpretantur? ---Imò quia jam ‘adhærebat ei Filius ſecunda perſona Ser-‘mo ipſius, & tertia Spiritus in Sermone. ‘Et poſt pauca. *Dixit Deus, fiat firmamentum ‘& fecit Deus firmamentum,* &c. h. e. Sermo Dei per quem omnia facta ſunt.

Scripturæ omnes demonſtrant diſtinctionem Trinitatis, non ſola traditio.

Cap. 12.

Gen. 1. 26.

Filius ſecunda perſona, Spiritus tertia.

Gen. 1. 3.

Ibid.

Quæ verò apud eundem ſequuntur aurem mihi vellunt. ‘Quod ſi (*inquit*) ipſe Deus ‘ſecundùm Joannem, *Deus erat Sermo,* habes

Joan. 1. 1.

duos

‘ duos. Alium dicentem ut fiat, alium facien-‘ tem. Unum qui erat (ut *pauſo inferius*) & ‘alium penes quem erat. Alium autem quomo-‘do accipere debeas jam profeſſus ſum, per-‘ ſonæ non ſubſtantiæ nomine, ad diſtinctio-‘ nem non ad diviſionem. Videſis, obteſtor te, Chriſtiane Lector, per communem baptiſmi noſtri fidem, quàm dilucidè Tertullianus Patrem & Filium duos perſonæ nomine, non ſubſtantiæ, profiteatur. Diſtinctionem ſcil. perſonarum tuetur contra Sabellium, diviſionem autem ſeu diverſitatem ſubſtantiæ abnegat contra Arium. Quod verò, ſubſtantiâ indiviſum, idem numero eſt, & ὁμοούσιον ſive conſubſtantiale. Cùm igitur ſubſtantia divina non tantùm indiviſa ſed, utpotè ſpiritualis naturæ indiviſibilis ſit, Filius vel totam Patris ſubſtantiam habet, vel omninò nullam; cùm in partes dividi nequeant.

Chriſtus alius à Patre Perſonæ non ſubſtantiæ nomine, ad diſtinctionem non diviſionem.

Vide Euſeb. Cæſarienſ. Epiſt. ad ſuos Cæſar. apud Socrat. Lib. 1. cap. 5.

Pater, Filius, Spiritus ὁμοούσιοι.

Præclarè admodùm addit. ‘ Cæterùm ‘ubique teneo unam ſubſtantiam in tribus ‘ cohærentibus. Hoc quid aliud eſt quàm unitatem ſubſtantiæ ſive eſſentiæ divinæ in Trinitate perſonarum cum Athanaſio agnoſcere? Unam autem ſubſtantiam intellige, non tantùm ſpecie ſed numero; ſi enim Filio, necnon Spiritui S. diverſam numero à Patre ſubſtantiam attribuas, quin tres Deos, quod Tertullianus infra horreſcit, inferas evitare non potes; haud minus quàm Petrum, Jacobum & Joannem, quanquàm ex eodem Patre natos, tres eſſe homines numero (ut in Scholis loquuntur, neque

enim jam Latini Sermonis puritati litamus) differentes. Tria autem eſſe increata, æterna, infinita, omnipotentia, numero diſtincta, imò in eâdem ſubſtantiâ, etiam indiviſibili diviſa & ſeparabilia, horrendum potiùs eſt quàm ſeriò refutandum.

Vid. Curcellæum cont. Mareſium de Trinit.

Nè verò putemus unitatem hanc ſubſtantiæ Perſonarum diſtinctionem ullatenus labefactare, ſtatim addit. ‘ Tamen alium dicam ‘oportet ex neceſſitate ſenſus eum qui jubet, ‘ & eum qui facit--haud ſibi juſſurus ſi unus (h. e. *perſonaliter*) eſſet, aut ſine juſſu fa-‘cturus, quia non expectaſſet ut ſibi juberet.

Hæc contra Praxean Patropaſſianum.

Cap. 13.

Poſtquàm, ἀγωνιστικῶς ſive contentiosè diſputans, probaſſet in veteri Teſtamento duos Deos nominari, adjungit. Er-‘go, inquis, provocabo te ut hodiè quoque ‘ ex authoritate iſtarum ſcripturarum duos ‘Deos prædices. *Quibus reſpondet.* Abſit ; ‘ nos enim qui & tempora & cauſas ſcri-‘pturarum inſpicimus --- duos quidem de-‘finimus Patrem & Filium ſecundùm ra-‘tionem œconomiæ quæ facit numerum, nè ‘ Pater ipſe credatur natus & paſſus, quod ‘ non licet credi quoniam non ità traditum eſt: ‘ Duos tamen Deos, & duos Dominos nun-‘quam ex ore noſtro proferimus. Non quaſi ‘ non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiri-‘tus S. Deus, & Deus unuſquiſque (En tibi Trinitas perſonarum, quarum unaquæq; Deus eſt, ſed unus idemque) ‘ ſed quoniam retro ‘ & duo Dei & duo Domini prædicabantur, ‘ ut ubi veniſſet Chriſtus & Deus agnoſce-‘retur

Pſal. 45.
Iſaiæ 45. 14.

Pater & Filius duo, ſed non Dii.

'retur---Itaque Deos omninò non dicam 'nec Dominos, ſed Apoſtolum ſequar, ut ſi 'pariter nominandi fuerint Pater & Filius, 'Deum Patrem appellem, & Chriſtum Do- 'minum nominem. Solum autem Chriſtum 'potero Deum dicere, ſicut idem Apoſtolus, '*Ex quibus Chriſtus qui eſt Deus ſuper omnia* Rom. 9. 5. '*benedictus in ævum omne*: nam & radium ſo- 'lis ſeorſum ſolem vocabo, ſolem autem no- 'minans, cujus eſt radius, non ſtatim & ra- 'dium ſolis nominabo. Nam etſi ſoles 'duos faciam, tamen & ſolem & radium 'ejus tam duas res & duas ſpecies unius & 'indiviſæ ſubſtantiæ numerabo, quàm Deum '& Sermonem ejus, quàm Patrem & Fi- 'lium. Hic animadvertas velim Tertullia- num Chriſtum Deum ſuper omnia confiteri, necnon unius & indiviſæ ſubſtantiæ cum Pa- tre, ſive Deum & Sermonem ejus eſſe ὁμοέσιες ſive conſubſtantiales. Quod enim indiviſum, præſertim ſi ſimplex fuerit, idem numero eſt.

Pater & Filius duæ res, & ſpecies unius & indiviſæ ſub- ſtantiæ.

Proximo capite hæc habet ſumme obſer- vanda. 'Si Filium nolunt (*hæretici*) ſecun- 'dum à Patre reputari, nè ſecundus duos fa- 'ciat Deos dici, oſtendimus etiam duos Deos 'in ſcripturâ relatos, & duos Dominos, & 'tamen nè de iſto ſcandalizentur, rationem 'reddidimus quâ Dei non duo dicantur nec 'Domini, ſed quâ Pater & Filius duo, h. e. ut cum Scholaſticis loquamur, Pater & Fi- lius duo ſunt perſonaliter ſecundùm Per- ſonam, minimè vero ſecundùm eſſen- tiam. Numerus enim ſive pluralitas Deo-

rum ex diviſione eſſentiæ ſive ſubſtantiæ divinæ oritur, non item ex diverſo ejuſdem ſubſiſtendi modo, ſive, ut ſupra loquitur Tertullianus, perſonæ diſtinctione.

Cap. 9.

His explicandi gratiâ ſubjungit. 'Et hoc '(ſcil. *Patrem & Filium duos eſſe*) non ex 'ſeparatione ſubſtantiæ, ſed ex diſpoſitione: 'Cum individuum & inſeparatum Filium à 'Patre pronunciamus---Qui etſi Deus dica'tur quando nominatur ſingularis, non ideò 'duos Deos faciat ſed unum, hoc ipſo quod '& Deus ex unitate Patris vocari habeat. Ex unitate Patris h. e. ex unitate numericâ ſubſtantiæ Patris, nè duos Deos contra Tertulliani mentem inferas.

Chriſtus Deus non facit cum Patre duos Deos, quia Deus eſt ex unitate (ſcil. numerica) Patris nota bene.

Poſt multa interpoſita quæ brevitatis ſtudio prudens prætermitto, illa quæ in verba Chriſti, *Ego & Pater unum ſumus*, commentatur omittere non poſſunt. 'Cæci ſunt '(*inquit*) qui non videant, primò *Ego & Pa'ter* duorum eſſe ſignificationem. Tùm quod 'unum ſumus ait, non unus, ſi enim dixiſ'ſet quod unus ſumus, potuiſſet adjuvare 'ſententiam illorum (ſcil. *Praxeanorum*) 'unus enim ſingularis numeri ſignificatio 'videtur. Adhuc cùm duo maſculini generis 'unum dicit neutrali verbo quod non per'tinet ad ſingularitatem (nimirùm *perſonæ*) 'ſed unitatem (ſcil. *naturæ*) ad ſimilitudi'nem, ad conjunctionem, ad delectionem. Pa'tris & ad obſequium Filii, qui voluntati Pa'tris obſequitur: *unum ſumus*, dicens, *Ego & 'Pater*, oſtendit duos eſſe quos æquat & jungit.

Cap. 22.
Joan. 10. 30.
Interpretatur.

Hic

Hic memoriâ diligenter tenendum eſt, unitatem ſimilitudinis, obſequii & dilectionis inter Patrem & Filium neutiquam tollere unitatem ſubſtantiæ ſuprà & ſæpiùs à Tertulliano prædicatam, imò, nec æqualitatem diminuere. Si enim Chriſtus non eſt abſolutè quoad ſubſtantiam Patri ſimilis & æqualis, ex quo generatur, non eſt omninò propriè Dei Filius, ſed creatura ex nihilo, vel aliâ aliquâ ſubſtantiâ, facta & condita. Cap. 30.

Alibi hæc reperias, 'Hic interim (ſcil. '*Chriſtus*) acceptum à Patre munus effudit 'Spiritum S. tertium numen divinitatis, & 'tertium nomen majeſtatis. Spiritus tertium numen divinitatis. Cap. 31.

Concludit in hunc modum. 'Judaicæ fi'dei res iſta ſic unum Deum credere ut Fi'lium annumerare ei nolis & poſt Filium 'Spiritum---Viderint igitur (*inquit*) Anti'chriſti qui negant Patrem & Filium. Ne'gant enim Patrem (*Attendant Monarchiani* '*& Antitrinitarii*) dum eundem Filium di'cunt; & negant Filium dum eundem Pa'trem credunt. Hæc adverſus Praxean perſonarum in Trinitate diſtinctionem negantem Tertullianus, qui primus è Latinis Patribus argumentum hoc juſto volumine tractavit. Anti-Trinitarii Judæi.

Libros de Caſtitate, Monogamiâ, cæteroſque contra Eccleſiam Catholicam ſcriptos intactos prætereo. Accedat horum vice tractatus, ſive Tertulliani, ſive Novatiani, cujuſcunque, de Trinitate: ſenſu, licet non ſtylo, planè Tertullianicus, ex eiſdem penè argumentis contextus quibus ſupra adverſus Praxean

Praxean dimicaverat. Ibi multa habemus præſentem cauſam ſpectantia. Lectionis operam, quanquam prolixa ſint, auſim tibi Lector polliceri, fructus utilitaſque abundè compenſabunt.

De Trin. cap. 1. ‘ Regula (*inquit*) veritatis exigit ut primo omnium credamus in Deum Patrem
Cap. 9. ‘ omnipotentem, &c. *Deinde, poſt haud pauca, addit.* Eadem regula veritatis docet nos ‘ credere poſt Patrem etiam in Filium Dei
Chriſtus Deus ſed Filius hujus Dei qui unus & ſolus eſt. ‘ Chriſtum Jeſum Dominum Deum noſtrum, ‘ ſed Dei Filium; hujus Dei qui & unus & ‘ ſolus eſt. In veteri Teſtamento promiſſum, ‘ in novo exhibitum.

Hinc apertiſſimè conſtat Deum Patrem & Deum (ut appellat) Filium ejus eſſe unum
Cont. Marcion. lib. 1. cap. 3. & eundem Deum, qui niſi unus ſit, Deus non eſt, ut alicubi Tertullianus.

Poſt alia probat Chriſti humanitatem ex fragilitatibus, Deitatem ex virtutibus(h.e. miraculis) cùm ſi non fuerit cùm ex Deo ſit, jam nec homo , ſit licet ex homine fuerit.

Cap. 12. ‘ Cur ergo (*inquit*) dubitemus dicere quod ‘ ſcriptura non dubitat exprimere, nimirùm ‘ Chriſtum & Deum & hominem eſſe, quod
Quomodo Chriſtus eſt primo genitus. Cap. 15. & 16. ‘ ex ſcripturis fusè confirmat. *Deindè addit.* ‘ Quomodo omnis creaturæ primogenitus ‘ eſſe poterit, niſi quoniam ſecundùm divi‘ nitatem antè omnem creaturam ex Patre ‘ Deo Sermo proceſſit? Si tantum homo, poſt ‘ omnem creaturam eſt, ſcil. quia homo ulti‘ timo creatus eſt---cur invocatur? Ut plu-
Cap. 14. ribus paulò ante diſputat.

Deinceps

Deinceps contra Hæreticos illos præclarè diſſerit qui inter Filium Dei & Filium hominis nihil arbitrantur intereſſe, nè factâ diſtinctione & homo & Deus Jeſus Chriſtus facilè comprobetur. Cap. 19.

Prætendunt illa Lucæ, *Spiritus Sanctus veniet in te & virtus altiſſimi & propterea & quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur, Filius Dei.* Lucæ 1. 35.
'Si ergo, inquiunt, Angelus Dei dicit ad 'Mariam, quod ex te naſcetur Sanctum vo-'cabitur Filius Dei, ex Mariâ eſt ſubſtantia 'carnis & corporis. Hanc autem ſubſtantiam 'i. e. Sanctum hoc quod ex illâ genitum eſt, 'Filium Dei eſſe propoſuit. Homo, inquiunt, 'ipſe & illa caro corporis, illud, quod ſan-'ctum eſt dictum, ipſum eſt Filius Dei. Quibus reſpondet hiſce verbis, quæ, prolixiora licèt, tranſcribere non morabor, cùm ad eundem modum hodierni Hæretici, præſertim Sociniani, argumententur. 'Sed enim 'Scriptura divina Hæreticorum fraudes & 'furta facilè convincit. Si enim ſic eſſet tan-'tummodò, *Spiritus veniet in te*, &c. *propte-'reà quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Fi-'lius Dei*; fortaſſe alio genere nobis adver-'ſus illos reluctandum eſſet.---Non autem 'dixit, *Propterea quod ex te naſcetur ſanctum*, 'ſed adjecit conjunctionem. Ait enim; *Pro-'pterea & quod ex te naſcetur ſanctum*; ut illud 'oſtenderet, non principaliter hoc ſanctum 'quod ex illa naſcitur, id eſt, iſtam carnis 'corporiſque ſubſtantiam Filium Dei eſſe, 'ſed conſequenter, &, in ſecundo loco: prin-

cipaliter

‘ cipaliter autem Filium Dei eſſe Verbum
‘ Dei incarnatum per illum Spiritum.---Hic
Legitimus Dei Filius ex Deo eſt. ‘ eſt enim legitimus Dei Filius qui ex ipſo
‘ Deo eſt, qui dum ſanctum illud aſſumit &
‘ ſibi Filium hominis annectit--connexione
‘ ſuâ & permixtione ſociatâ præſtat & Filium
‘ illum Dei facit, quod ille naturaliter non
‘ fuit.

Cap. 20. Pergit Novatianus eos refutare, qui ita argumentati ſunt. ‘ Si Chriſtus Deus, Chri-
‘ ſtus autem mortuus. Ergo mortuus eſt
‘ Deus. Cùm enim tam ex eo quod Deus
‘ eſt, quam etiam ex illo quod homo eſt
‘ Chriſtus intelligatur eſſe permixtus & ſo-
Joan. 1. ‘ ciatus: *Verbum enim caro factum eſt*, &c.
‘ quis (*inquit*) non ſine ullo Magiſtro atque
‘ interprete ex ſeſe facilè cognoſcat non illud
‘ in Chriſto mortuum eſſe quod Deus eſt, ſed
‘ quod homo eſt ?

Cap. 22. Poſt nonnulla interpoſita pulcherrimè
Joan. 10. 30. commentatur in illa, *Ego & Pater unum ſumus.*
‘ Quomodo enim (*inquit*) ego & Pater
‘ unum ſumus, ſi non & Deus eſt Chriſtus
‘ & Filius qui idcirco unum poteſt eſſe dum
‘ ex ipſo eſt, & dum Filius ejus eſt, & dum
‘ ex ipſo naſcitur, dum ex ipſo proceſſiſſe
‘ reperitur, per quod & Deus. Creatura
‘ enim (*ut paulò ante dixerat*) à Deo facta
‘ eſt, non ex Deo proceſſit. Quod cùm Ju-
‘ dæi invidioſum putaſſent & blaſphemum,
‘ eo quod ſe oſtenderat his ſermonibus eſſe
‘ Deum---teſtimonio Scripturarum adverſa-
‘ rios ſuos fortiter refutavit. Si illos (*inquit*)
dixit

'dixit Deos ad quos verba facta ſunt--quem
'*Pater ſanctificavit & miſit in mundum vos di-*
'*citis, blaſphemas; quia dixi, Filius Dei ego* Joan. 10. 35.
'*ſum.* Quibus vocibus neque ſe negavit
'Deum; quinimò Deum ſe eſſe firmavit, Chriſtus ſe Deum eſſe firmavit.
'nam quia ſine dubitatione Dei eſſe dicun-
'tur ad quos verba facta ſunt, multò magis Argumentum
'hic Deus qui melior illis omnibus inveni- eſt à minori
'tur.---Ita quod ad crimen blaſphemiæ per- à majus.
'tinet Filium ſe non Patrem dicit, quod au-
'tem ad divinitatem ſpectet ipſius, *Ego &*
'*Pater unum ſumus* dicendo, Filium ſe eſſe
'& Deum probavit. Deus eſt ergo. Deus
'autem ſic, ut Filius ſit, non Pater.

Capite proximo probat Chriſtum non eſſe tantummodò hominem, 'quoniam qui cre-
'dit in hominem ſolitarium maledictus dici- Jerem. 17.
'tur. Hic autem qui credit in Chriſtum non
'maledictus ſed in æternum non moriturus,
'refertur.

Iterum. 'Si homo tantummodo Chriſtus, 'quomodo Paracletum dicit de ſuo eſſe 'ſumpturum quæ nunciaturus eſt? Neque 'enim Paracletus ab homine quicquam ac- 'cipit, ſed homini ſcientiam porrigit. Hinc 'infert Chriſtum eſſe majorem Paracleto (eodem ſcil. ſenſu quo Pater Filio major eſt ratione originis ſeu proceſſionis) 'quoniam 'nec Paracletus à Chriſto homine acciperet 'niſi minor Chriſto eſſet.

His addit. 'Si homo tantummodò Chri- 'ſtus eſt, quare credendi nobis talem regu- 'lam poſuit, quæ diceret, *Hæc eſt vita æterna*

Joan. 17. 3. Pulchre exponitur.

'*ut ſciant te unum eſſe verum Deum & quem* '*miſiſti Jeſum Chriſtum.* Si noluiſſet ſe etiam 'Deum intelligi, cur addidit, *Et quem mi*'*ſiſti Jeſum Chriſtum?* Niſi quoniam & 'Deum accipi voluit. Quoniam, ſi ſe Deum 'nollet intelligi, addidiſſet, *Et quem miſiſti* '*hominem Jeſum Chriſtum.* Nunc autem neq; 'addidit nec ſe hominem tantummodò 'Chriſtus tradidit, ſed Deo junxit, ut & 'Deum per hanc conjunctionem ſicut eſt, in'telligi vellet. Eſt ergo credendum ſecun'dum præſcriptam regulam in Dominum 'unum verum Deum & in eum quem miſit 'Jeſum Chriſtum conſequenter, qui ſe ne'quaquam Patri junxiſſet, niſi Deum intel'ligi vellet. Separaſſet enim ab eo, ſi Deum 'intelligi ſe noluiſſet. Inter homines enim 'tantummodò ſe collocaſſet, ſi hominem ſe 'eſſe tantummodò ſciret, nec cum Deo jun'xiſſet, ſi ſe non & Deum noſſet: Nunc & 'de homine tacet, quoniam hominem illum 'nemo dubitat, & Deo ſe jungit meritò, ut 'credituris Divinitatis formulam poneret.

Chriſtus ſe Deum eſſe aſſerit.

Statim addit. 'Chriſtus habuit gloriam 'ante mundi inſtitutionem, ergo ante mun'dum fuit. Niſi enim ante mundi inſtitutio'nem eſſet, ante inſtitutionem mundi glo'riam habere non poſſet, quum ipſe non 'eſſet. Sed homo gloriam ante mundi in'ſtitutionem habere non potuit, qui poſt 'mundum fuit. Chriſtus autem habuit; 'ante mundum igitur fuit: non igitur homo 'tantummodò fuit, qui ante mundum fuit.

Joan. 17. 5.

Hæc Socinum confodiunt.

Deus

'Deus igitur eſt, quoniam ante mundum 'fuit. Nec prædeſtinatio iſta dicatur, quo-'niam nec poſita eſt, aut addant hoc qui 'hoc putant. Sed væ eſt adjicientibus, quo-'modò & detrahentibus poſitum. Non po-'teſt ergo dici quod non poteſt adjici. Sub-'latâ ergo prædeſtinatione, quæ non eſt po-'ſita in ſubſtantiâ, fuit Chriſtus ante mundi 'inſtitutionem. Quoniam etſi in prædeſti-'natione dicitur glorioſus ;& ante mun-'di inſtitutionem fuiſſe prædeſtinationem, or-'do ſervetur & ante hunc erit multus nume-'rus hominum in gloriam deſtinatus,minor 'enim per iſtam deſtinationem Chriſtus cæ-'teris intelligitur,quibus poſterior denotatur. 'Nam ſi hæc gloria in prædeſtinatione fuit 'prædeſtinationem iſtam in gloriam noviſſi-'musChriſtus accepit. Ante enim prædeſtina-'tus Adam, Abel,&c. Nam cum apud Deum '& perſonarum & rerum omnium ordo di-'geſtus ſit, ante hanc prædeſtinationem 'Chriſti in gloriâ multi prædeſtinati ſunt. 'Hoc pacto minor cæteris hominibus Chri-'ſtus eſſe deprehenditur, qui melior & ma-'jor & antiquior Angelis invenitur.

Hæreticorum evaſionem tollit.

Argumentum negativum à Scriptura.

Prædeſtinatur quod non eſt

Origen. in cap. 1. ad Rom.

Prædeſtinatio ad gloriam.

Adam, Abel prædeſtinati ad gloriam.

Capite proximo hæc habentur. 'Deo 'præcipiente ut homo fiat, Deus refertur 'eſſe qui hominem facit. Facit autem ho-'minem Dei Filius, Verbum ſcil. Dei *per* '*quem facta ſunt omnia.* Ergo Chriſtus eſt 'Deus.

Poſt alia de Angelo agens qui Agar Saræ ancillam convenit, hæc habet lectu quidem dignissima.

Cap. 26. Gen. 16. 9.

digniſſima. 'Quomodo ergo Deus erit ſi
'Angelus fuit? Quum non ſit hoc nomen
'(*ſenſu intellige proprio non metaphorico*) An-
'gelis unquam conceſſum; niſi quoniam ex
'utroque latere nos veritas in iſtam con-
'cludit ſententiam, quia intelligere debemus
'Dei Filium fuiſſe, qui quoniam (ſcil. *ſe-
'cundùm ſubſtantiam*) ex Deo eſt, merito
'Deus, quia Dei Filius dictus ſit: quoniam
'Patri ſubditus & annunciator paternæ vo-
'luntatis eſt, magni conſilii Angelus pro-
'nunciatus eſt. Ergo ſi hic locus, neque per-
'ſonæ Patris competit, ne Angelus dictus
'ſit, neque perſonæ Angeli, ne Deus pro-
'nunciatus ſit: perſonæ autem Chriſti con-
'venit, ut & Deus ſit, quia Dei Filius eſt,
'& Angelus ſit, quoniam paternæ diſpoſi-
'tionis annunciator eſt; intelligere debent
'contra Scripturas ſe agere Hæretici, qui
'Chriſtum quum dicant ſe & Angelum
'credere, nolint etiam illum Deum pro-
'nunciare; quem in veteri Teſtamento, ad
'viſitationem generis humani legunt ſæpè
'veniſſe.

Iterum poſt pauca. 'Si Angelus tantum
Gen. 17. 10. 'eſt, cur hoc ſibi vindicat ut dicat, *In gen-
'tem magnam faciam eum*? cùm hoc utique
'genus potentiæ Dei (*omnipotentis* ſcil.) ſit,
'Angeli eſſe non poſſit.

Cap. 27. Poſt alia de Angelo Jacobo apparente
hæc addit. 'Si Angelus Dei loquitur hæc
'ad Jacob, atque ipſe Angelus infert dicens,
Gen. 31. 13. '*Ego ſum Deus qui viſus ſum tibi in loco Dei*

(h.e.

'h. c. Bethel) *ubi unxiſti mihi illic ſtantem lapi-* '*dem & voviſti mihi votum*, &c. non tantummo-' do Angelum, hunc Angelum, ſed & Deum ' poſitum ſine ullâ dubitatione conſpicimus, ' quiq; ſibi votum refert à Jacob deſtinatum ' eſſe in loco Dei & non dicit in loco meo. Eſt ' ergo locus Dei, eſt & hic Deus: ſed enim ' ibi ſimpliciter eſt in loco Dei poſitum; neq; ' enim dictum eſt in loco Angeli & Dei, ſed ' tantummodò Dei. Hic autem qui iſta pro-' mittit Deus atque Angelus eſſe perhibetur, ' ut meritò diſtinctio ſit, inter eum qui tan-' tummodò Deus dicitur, & inter eum qui ' non Deus ſimpliciter ſed & Angelus pro-' nunciatur. Ex quo ſi nullius alterius An-' geli poteſt hic accipi tanta authoritas, ut ' Deum quoque ſe eſſe fateatur, & votum ' ſibi factum eſſe teſtetur, niſi tantummodò ' Christi, cui, non quia Angelo tantum, ſed ' quia Deo, votum voveri poteſt; mani-' feſtum eſt non Patrem accipi poſſe ſed Fi-' lium Dei & Angelum. Hic autem ſi Chri-' ſtus eſt, ſicuti eſt, vehementer periclita-' tur, qui aut hominem Chriſtum aut An-' gelum tantummodò dicit, ſubtractâ illi ' divini nominis poteſtate, quam ex Scriptu-' rarum fide frequenter accepit, quæ illum ' & Angelum & Deum frequenter dicunt.

Mal. 3. 1.

Vota non Angelo ſed ſoli Deo vovenda ſunt.

Similiter de Angelo cum Jacobo colluctante perorat Novatianus. '*Non vocabitur* '*nomen tuum Jacob, ſed Iſrael.* Ac ſi Iſrael ' eſt homo videns Deum, eleganter oſten-' debat Dominus, quod non tantum homo

Ibid.

Gen. 32. 28.

‘ eſſet qui colluctabatur tunc cum Jacob, ſed
‘ & Deus. Et ut nulla adhuc poteſt eſſe du-
‘ bitatio interpretationem ipſe poſuit, di-
‘ cendo, *quia invaluiſti cum Deo*, &c. Quam
‘ ob cauſam hic idem Jacob---nomen loci
‘ illius quo colluctatus eſt vocavit viſionem
‘ Dei (h. e. *Peniel*) *Vidi enim* (inquit)
‘ *Deum facie ad faciem.* ---Hominem quaſi
‘ victor tenuit, benedictionem autem quaſi
‘ à Deo ut inferior poſtulavit.

Poſt pauca hæc addit. ‘ Et tamen poſtea
‘ non ceſſat eadem divina Scriptura, Ange-
‘ lum Deum dicere Deum Angelum pronun-
‘ tiare, Nam cum Menaſſem & Ephrem fi-
‘ lios Joſeph benedicturus eſſet hic ipſe Ja-
‘ cob: *Deus* (inquit) *qui paſcit me à juven-*
‘ *tute meâ uſque in hunc diem, Angelus qui libe-*
‘ *ravit me ex omnibus malis, benedicat pueros.*
‘ Uſque adeò autem eundem Angelum ponit,
‘ quem Deus dixerat, ut ſingularem in
‘ exitu Sermonis ſui poſuerit perſonam, de
‘ qua loquitur, dicendo, *Benedicat pueros hos.*
‘ Si enim alterum Angelum voluiſſet intelli-
‘ gi (utinam animadverterent Angelorum in-
vocatores Pontificii) ‘ plurali numero duas
‘ perſonas complexus fuiſſet: nunc unius per-
‘ ſonæ ſingularem numerum in benedictione
‘ depoſuit (nimirum *benedicat*, aiens, non
benedicant) ‘ ex quo eundem Deum atque
‘ Angelum intelligi voluit.

Gen. 48. 16. Hic Angelus quem Jacob invocavit Deus erat & Chriſtus, non creatura. Vid. Athan. orat. 4. in Arianos.

Poſt nonnulla, quæ prudens omitto, de Spiritu S. hæc habet. ‘ Ordo rationis & fidei
‘ authoritas digeſtis vocibus & literis Domi-
ni

In Spiritum S. credendum eſt.

'ni admonet nos poſthæc credere etiam in 'Spiritum S. olim Eccleſiæ repromiſſum, &c.

Ad finem operis argumentum Hæreticorum ab unitate Dei deſumptum prolixè ſolvit, quæ huc tranſcribere operæ pretium (in Lectoris gratiam) æſtimo. Præclara etenim ſunt.

'Tam illi qui Jeſum Chriſtum ipſum 'Deum Patrem dicunt (ut Praxeani, Patropaſſiani & poſtea Sabelliani, &c.) quàm 'etiam illi qui hominem tantummodò illum 'eſſe voluerunt (ut Cerinthiani, Ebionitæ, Samoſateniani, &c. quibus addas Socini aſſeclas) 'erroris ſui & perverſitatis origines '& cauſas indè rapuerunt, quia cùm ani'madverterent ſcriptum eſſe, quod unus ſit 'Deus, non aliter putaverint iſtam ſe tenere 'poſſe ſententiam, niſi aut hominem tantùm 'Chriſtum, aut certè Deum Patrem puta'rent eſſe credendum. Sic enim illi colligunt. 'Si non Pater ſit Chriſtus, dum & Deus Fi'lius Chriſtus, duo Dii contra Scripturas 'introducuntur. Hi ex adverſo: Si alter Pater, 'alter eſt Filius: Pater autem Deus & Chriſtus 'Deus. Non ergo unus Deus, ſed duo Dii Pa'ter & Filius; ac ſi unus Deus conſequenter 'homo Chriſtus, ut meritò Pater ſit unus Deus. 'Revera (*inquit eleganter Novatianus*) quaſi 'inter duos latrones crucifigitur Dominus, 'quomodo fixus aliquando eſt (ſcil. *in cruce*) '& ita excipit Hæreticorum iſtorum ex 'utroque latere ſacrilega convicia. Sed neque 'Scripturæ S. neque nos cauſas illis perdi-

Hæreticorum argumentationes.

'tionis & cæcitatis aſſerimus, ſi quæ in me-
'dio evidenter poſita, aut videre nolunt
'aut non poſſunt. Nos enim & ſcimus &
'legimus, & credimus, & tenemus, unum
'eſſe Deum, qui fecit cœlum & terram, &c.
'Sed quomodo hoc legimus, tenemus & cre-
'dimus, ſic Scripturarum cœleſtium nullam
'partem præterire debemus, quippe cum
'illa etiam quæ in Scripturis ſunt poſita
'Chriſti divinitatis inſignia nullo modo de-
'bemus recuſare, ne Scripturarum authori-
'tatem corrumpendo integritatem fidei
'ſanctæ corrupiſſe teneamur. Et hoc ergo
'teneamus ſiquidem fideliſſimum; Dei Fi-
'lium Jeſum Chriſtum Dominum & Deum
'noſtrum, quoniam *In principio erat Verbum,*
'*& Verbum erat Deus.--- Et Dominus meus*
'*& Deus meus.* Et, *Quorum Patres & ex*
'*quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſu-*
'*per omnia Deus benedictus in ſecula.* Quid
'ergo dicemus? Numquid duos Deos Scri-
'ptura proponit? Quomodo ergo dicit, *Quia*
'*unus eſt Deus*? Aut numquid non & Chri-
'ſtus Deus eſt? Quomodo ergo, *Dominus*
'*meus & Deus meus*, Chriſto dictum eſt?
'Totum igitur hoc niſi cum propriâ vene-
'ratione teneamus, meritò ſcandalum hære-
'ticis præbuiſſe credemur, non utique ex
'Scripturarum cœleſtium vitio, quæ nun-
'quam fallunt, ſed humani erroris præſum-
'ptione, quâ hæretici eſſe voluerunt. Et im-
'primis illud retorquendum eſt in iſtos qui
'duorum nobis Deorum controverſiam face-
're

Joan. 1. 1. Joan. 20. 28. Rom. 9. 5. Chriſtus Deus ſuper omnia.

Deuter. 6. 4.

Hæretici pervicaciter cæci ſunt.

're preſumunt. Scriptum eſt,quod negare non 'poſſunt, *Quoniam unus eſt Dominus.* De 'Chriſto ergo quid ſentiunt? Dominum eſſe 'aut omnino non eſſe? Sed Dominum illum 'omnino non dubitant. Ergo ſi vera eſt il-'lorum ratiocinatio, jam duo ſunt Domini.

1 Cor. 8. 6. Eodem modo Origenes argumentatur ſupra.

Similiter arguit ex eo quod Paulus ſit magiſter, licet magiſter unus Chriſtus ſit dictus, & Chriſtus bonus; quanquam alibi ſcriptum ſit, *Unus bonus* ſcil. *Deus.* Hinc colligit Novatianus. 'Si non putant (*hære-'tici*) aliquâ ratione offici poſſe ei quod unus 'Dominus eſt, per illud quod eſt Dominus '& Chriſtus; neque ei quod unus eſt ma-'giſter per illud quod magiſter eſt Paulus; 'aut illi quod unus eſt bonus, per illud quod 'bonus ſit nuncupatus & Chriſtus: eadem 'ratione intelligant offici non poſſe ab illo 'quod unus eſt Deus, ei quod Deus pronun-'ciatus eſt & Chriſtus.

Matth. 19.17.

Capite ultimo hæc habet ſummoperè notanda. 'Eſt ergo Deus Pater omnium in-'ſtitutor & creator, ſolus originem neſciens '---unus Deus, cujus neque magnitudini 'neque majeſtati---quicquam non dixerim 'præferri, ſed nec comparari poteſt (ſcil. quia, uti jam dixerat, ſolus eſt originem neſciens.) 'Ex quo quando ipſe voluit (ſcil. ut ſtatim ipſe explicat, ab æterno) 'Sermo Filius natus eſt, qui non in ſono per-'cuſſi aeris, aut tono coactæ de viſceribus 'vocis, accipitur, ſed in ſubſtantiâ prolatæ 'virtutis agnoſcitur, cujus nativitas incom-

Deus Pater eſt ſolus originem neſciens. Filius ex Patre natus eſt.

Vid. Lactant. lib. 4. c. 8. infra.

 prehenſibilis.

‘ prehenſibilis. Hic ergo cum genitus ſit à ‘ Patre ſemper eſt in Patre. Semper autem ‘ ſic dico, ut non innatum, ſed natum, pro- ‘ bem. Sed qui ante omne tempus eſt ſem- ‘ per in Patre fuiſſe dicendus eſt. Nec enim ‘ tempus illi aſſignari poteſt, qui ante tempus ‘ eſt. Semper enim in Patre, ne Pater non ‘ ſemper ſit Pater; quia & Pater illum etiam ‘ [quadam ratione] (h. e. *originis, ut ſtatim* ‘ *ſubdit*) præcedit, quod neceſſe eſt [*quo-* ‘ *dammodo*] prior ſit, quâ Pater eſt. Quo- ‘ niam [*aliquo pacto*] antecedat neceſſe eſt ‘ eum qui habet originem, ille qui originem ‘ neſcit. Simul ut hic minor, dum in illo ‘ eſſe ſe ſcit, habens originem quia naſcitur, ‘ & per Patrem [*quodammodo*] quamvis ‘ originem habet quia naſcitur, vicinus in ‘ nativitate dum ex eo Patre, qui originem ‘ ſolus non habet, naſcitur.

Verbum ante omne tempus ſemper in Patre non ut innatum ſed natum, h. e. ut Filius ſeu perſona genita. Filius minor Patre quia habet originem à Patre.

Hic vocibus, *quâdam ratione, quodammodo, aliquo pacto*, prudenter utitur Novatianus, ut omnem Arianiſmi ſuſpicionem amoliatur. Sed impoſſibile eſt perverſorum hominum calumnias declinare.

Vid. Pamel. in locum hunc.

Pergit doctiſſimus Vir. ‘Hic ergo quando ‘ Pater voluit (h. e. *ab æterno, ante omne tem-* ‘ *pus, ſemper*) proceſſit ex Patre, & qui in ‘ Patre fuit, quia ex Patre fuit, cum Patre ‘ poſtmodum fuit, quia ex Patre proceſſit ‘ ſubſtantia ſcil. illa divina cujus nomen eſt ‘ Verbum. Attende Lector *poſtmodum* hoc in loco nullam denotare temporis (quod ſupra diſertè excluſit) ſucceſſionem, ſed ſolum

Supra.

lum naturæ ſive originis ordinem, quia Filius ex Patre procedit (h. e. oritur) cum ſit Deus ex Deo.

Paulo poſt in eundem ſenſum ita ſcribit. ‘Deus ubique ex Deo procedens ſecundam ‘perſonam efficiens (h. e. *conſtituens*, Novatianus enim cum Tertulliano vocibus, *efficiens*, *fecit*, *factus eſt*, innocenter & orthodoxè utitur) ‘ſed non eripiens illud Patri ‘quod unus eſt Deus. Si enim natus non ‘fuiſſet, *ſed* (interpono cum virorum doctorum veniâ particulam illam) innatus, com‘paratus cum eo qui eſſet innatus, æqua‘tione (*intellige ratione originis*) in utroque ‘oſtensâ, duos faceret innatos, & ideò duos ‘faceret Deos. Si non genitus eſſet (h. e. ‘*Filius*) collatus cum eo qui genitus non ‘eſſet, & æquales inventi, duos Deos meritò ‘reddidiſſent non geniti, atque ideò duos ‘Chriſtus reddidiſſet Deos, ſi ſine origine ‘eſſet ut Pater, duo faciens principia, duos ‘nobis conſequenter oſtendiſſet & Deos--- ‘nunc autem quicquid eſt (*Filius*) non ex ‘ſe eſt, quia nec innatus eſt, ſed ex Patre eſt, ‘quia genitus eſt: ſive dum Verbum eſt, ‘ſive dum virtus eſt, ſive dum ſapientia eſt, ‘ſive dum lux eſt, ſive dum Filius eſt, & ‘quicquid horum eſt, dum non aliundè eſt ‘quam (*ſicut diximus*) ex Patre, Patri ſuo ‘originem ſuam debens, diſcordiam divini‘tatis de numero Deorum facere non potuit, ‘qui ex illo qui eſt unus Deus, originem naſ‘cendo contraxit. Adverte Filium cum Pa-

Chriſtus Deus non eripit Patri quod unus ſit Deus, quia ex Deo Patre natus eſt, h. e. per ejuſdem numero eſſentiæ communicationem aut communionem ut infra ait.

Filius ut Filius non ex ſe ſed ex Patre eſt, quia genitus eſt.

tre unum eſſe Deum, quia ex Deo genitus eſt, ſcil. ejuſdem numero ſubſtantiæ per generationem communicatione. Creaturæ omnes naturæ licet diverſiſſimæ per creationem à vel ex Deo ſunt.

Vid. Athanaſ. de Synodis Arim. & Seleuciæ p. 705. 706.

Addit. 'Quo genere dum & unigeni-'tus eſt & primogenitus, ex illo eſt qui 'originem non habet, unus eſt omnium 'rerum principium & caput. Idcirco unum 'Deum aſſeruit, quem non ſub ullo princi-'pio aut initio, ſed initium potius & prin-'cipium rerum omnium comprobavit.

Hæc Chriſti incarnationem ſpectant.

Quibus annectit, finem operi impoſiturus, quæ diligenter animadvertenda ſunt. 'Fi-'lius autem nihil ex arbitrio ſuo gerit, nec 'ex conſilio ſuo facit, nec à ſe venit, ſed 'imperiis paternis omnibus & præceptis 'obedit, ut quamvis probet nativitas Filium '(ſcil. *congenerem*) tamen morigera obe-'dientia aſſerat illum paternæ voluntatis ex 'quo eſt, miniſtrum. Ita dum ſe Patri in o-'mnibus obtemperantem reddit, quamvis 'ſit Deus, unum tamen Deum Patrem de 'obedientiâ ſuâ oſtendit ex quo & originem 'traxit, & ideo duos (h. e. *Deos*) facere non 'potuit qui nec duas origines fecit, qui ex 'eo qui originem non habet principium na-'tivitatis ante omne tempus accepit. Nam 'cum id ſit principium cæteris quod inna-'tum (h. e. non natum, ſeu ut Scholaſtici loquuntur, innaſcibile) 'quod Deus ſolus 'Pater eſt qui extra originem eſt, ex quo 'hic eſt qui natus eſt, dum qui ex illo naſci-'tur

Chriſtus ante omne tempus.

Non duo ſunt Dii quum non duo ſint Patres nec diverſæ ſubſtantiæ ſit genitor à genito. Athanaſ. cont. Sabell. p. 511.

'tur meritò ex eo venit qui originem non 'habet, principium probans illud eſſe ex 'quo ipſe eſt, etiamſi Deus eſt qui natus eſt, 'unum tamen Deum oſtendit, quem hic qui 'natus eſt eſſe ſine origine comprobavit. Eſt 'ergo Deus; ſed in hoc ipſum genitus 'ut eſſet Deus. Cujus ſic divinitas traditur, 'ut non aut diſſonantiâ aut inæqualitate Di-'vinitatis duos Deos reddidiſſe videatur. 'Subjectis enim ei quaſi Filio omnibus rebus 'à Patre, dum ipſe cum his, quâ (*quod pro-'bè notandum*) illi ſubjecta ſunt, Patri ſuo 'ſubjicitur, Patris quidem ſui Filius pro-'batur, cæterorum autem Dominus & Deus 'eſſe reperitur. Ex quo dum huic qui eſt 'Deus omnia ſubſtructa traduntur, & cun-'cta ſibi ſubjecta Filius accepta refert Pa-'tri, totam Divinitatis authoritatem rurſus 'Patri remittit, unus Deus oſtenditur verus '& æternus Pater à quo ſolo hæc vis divi-'nitatis emiſſa, etiam in Filium tradita & 'directa rurſum per ſubſtantiæ communio-'nem ad Patrem revolvitur. Quid autem aliud obſecro, Chriſtiane Lector, ſibi vult in Patre & Filio ſubſtantiæ communio, quàm unam eandemque ſubſtantiam inter ſe communem habere, vel Filium eſſe Patri ὁμοέσιον conſubſtantialem & (ut ſupra) æqualem?

Chriſtus Deus ſed genitus ut eſſet Deus.

Inter Patrem & Filium nulla diſſonantia aut inæqualitas, quod duos Deos redderet.

Vis Divinitatis à Patre in Filium emiſſa ad Patrem revolvitur.

Sed ex Tertulliani rivis ſat prata biberunt.

CAP.

CAP. II.

HIPPOLYTUS.

Floruit circa ann. 220.

INter antiquos Patres ſuffragium ſuum ferat Hippolytus Epiſcopus & Martyr, ab Euſebio, Hieronymo, & Gelaſio laudatus, qui de Chriſto Domino noſtro in hunc modum ſcripſit.

In Pſalm. 2. apud Magdeburg. Cent. 3. cap. 10. p. 272.

'Hic qui proceſſit in mundum Deus eſt '& homo. Divinitas ejus poteſt apertè vi'deri, quando ab Angelis adoratur, à paſto'ribus viſitur--à magis quæritur, & per 'ſtellam ſignificatur, peccata remittit, &c.

Chriſtus ut Deus inviſibilis.

Alibi. 'Eos autem & illos qui aliter ſen'tiunt dixerit quiſpiam eſſe vicinos ut qui 'errant ſimiliter: nam illi etiam vel nudum 'hominem confitentur apparuiſſe Chriſtum 'in vitâ, Divinitatis talentum negantes, 'vel Deum confitentes, rurſus hominem re'nuunt (ita enim legendum arbitror ſenſu pendente) 'docentes viſione eſſe pulſos eo'rum viſus qui aſpiciebant, &c. Quibus ver'bis tum Ebionis tum Marcionis hæreſin 'perſtringit.

Libro de diſtributione Talentorum. Cerinthus, Ebion, &c.

Marcion.

Similia habet idem Hippolytus in memoriâ hæreſium, ubi poſtquam pluribus probaſſet Chriſtum Deum & hominem apparuiſſe, tandem concludit hiſce verbis:

Apud Magdeburg. Cent. 3. cap. 4. p. 41.

'Vidiſtis quod ſecundum carnem quidem 'ejus eſt ex David. Quod verò ſecundum 'Spiritum ex Deo, quapropter probatum 'eſt eundem & Deum eſſe & hominem.

CAP.

CAP. III.

GREGORIUS THAUMATURGUS.

Floruit ann. Chriſti 233.

PRodeat jam in medium Vir doctrinâ ſimul & miraculis illuſtris Gregorius Epiſcopus Neo-Cæſarienſis, Origenis Diſcipulus, cognomento Thaumaturgus. Hujus confeſſio fidei extat apud Euſebium ex verſione Ruffini, & apud Gregorium Nyſſenum, in oratione in Gregorium hunc ubi hæc habentur.

Vid. Baſil. de Spir. 6. cap. 19. & epiſt. 64.

Lib. 7. cap. 25. Orat. in Greg. Thaumat.

'Unus Deus Pater Verbi viventis, ſapien- 'tiæ ſubſiſtentis--perfectus perfecti genitor, 'Pater Filii ungeniti. Unus Dominus, ſolus 'ex ſolo, figura & imago Deitatis, Sapien- 'tia comprehendens omnia, & Virtus quâ 'tota creatura fieri potuit. Filius verus veri '--ſempiternus ex ſempiterno. Unus Spiri- 'tus S. ex Deo ſubſtantiam habens, &c. per 'quem Deus ſuper omnia & in omnibus 'cognoſcitur. & Filius per omnes. Trini- 'tas perfectâ Majeſtate & ſempiternitate & 'regno minimè dividitur neque abalienatur. 'Igitur neque factum quid neque ſerviens in 'Trinitate, neque (*in tempore* ſcil.) ſu- 'perinductum, tanquam antehac non ſub- 'ſiſtens, poſtea, vero ſuperingreſſum. Neq; 'itaque defuit unquam Filius Patri, neque 'Filio Spiritus S. (*quod creaturæ minimè* '*competit*) invertibilis & immutabilis ea- 'dem Trinitas ſemper manet. Hæc hactenus Gregorius Thaumaturgus.

Chriſtus omnipotens creator, non ſimplex miniſter.

Spiritus S. ſubſtantiam habet ex Deo.

Trinitas individua.

Nil factum aut ſerviens aut temporale in Trinitate.

CAP.

CAP. IV.

Anno 260. *DIONYSIUS ROMANUS.*

Decretis Synod. Nicænæ. De ſententia Dionyſii Alexandr. p. 43. Edit. Commelin. Vid. Curcellæum contra Mareſium. diſp. de Trinitate.

GRegorium ſequatur Dionyſius Romanus Epiſcopus, qui, teſte magno Athanaſio, opus contra eos conſcriptum edidit, qui Filium Dei opus ποίημα aut creaturam aſſeruerant; cujus verba hoc modo recitat ibidem Athanaſius:

'Merito deinceps dixero in Diviſores, ſe-'ctoreſque & peremptores reverendiſſimi 'Eccleſiæ de Deo præconii, qui Monarchiam '(*quâ voce Tertullianus ſupra uſus eſt*) in 'tres potentias, ſubſtantias & Deitates di-'vidunt, Sabellium ſcil. ex diametro oppu-'gnantes. Ille enim cum blaſphemiâ dicit, 'Filium eſſe Patrem, Patremque Filium. 'Iſti autem quodammodo in tres ſubſtan-'tias alienigenas, & inter ſe ſegregatas 'ſanctam unitatem diſpertiuntur. Uniri 'enim neceſſe eſt (ἑνῶσθαι) omnium Deo 'Dei Verbum, & in eodem hærere & ver-'ſari Spiritum S. & Sanctam Trinitatem 'in unum omnium rerum Deum omnipoten-'tem, ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα συγκεφαλαιοῦσθαι καὶ 'συνάγεσθαι, veluti in verticem principemq; 'conſummari & coaleſcere. Marcionis vani-'loqui doctrina ſectionem diviſionemque 'Monarchiæ inſtituit, ſcil. plures Deos in-'troducendo. Hæc autem Diaboli inſtitu-'tio eſt, non verorum Chriſti diſcipulorum.

Idem docet Athanaſius de Syn. Nicæn. p. 422. edit. Commel.

Illi

'Illi enim ut Trinitatem prædicari à Sacris 'literis planè ſciunt, ita tres eſſe Deos à 'veteri aut novo Teſtamento induci non 'agnoſcunt. Cæterum non minus culpave-'ris eos qui Filium Dei opus credunt, & 'factum eſſe Dominum opinantur: quum 'ſacra eloquia generationem ei congruentem '& decentem, non autem formationem & 'creationem, attribuant. Blaſphemia igitur 'illa non vulgaris, ſed maxima, haben-'da eſt, ſi Dominum dicas manu factum. 'Si enim factus eſt Filius, erat igitur quan-'do ille non erat. Atqui ille ſemper erat.

Chriſtus non eſt factus aut creatus ſed generatus.

Arii blaſphemia.

Et poſt alia lectu digniſſima tandem concludit S. Dionyſius. 'Non igitur dividenda 'eſt in tres Deitates admirabilis & divina 'Unitas, neque ſub nomine creationis aut 'factionis minuenda eſt dignitas & immen-'ſa majeſtas, ſed credendum eſt in Deum 'Patrem omnipotentem, & in Chriſtum Je-'ſum Filium ipſius, & in Spiritum S. uni-'rique Deo totius univerſitatis Verbum. *Ego 'enim* (inquit) *& Pater unum ſumus*. Et, '*Ego in Patre & Pater in me*. Ita enim & di-'vina Trinitas & ſancta prædicatio pro-'feſſioque Monarchiæ (*ſubſtantiæ nomine, 'non perſonæ, ut Tertullianus ſupra*) conſer-'vari poſſit. Hæc Dionyſius Epiſcopus Ro-'manus, uti refert Athanaſius.

Trinitas in unitate.

Joan. 10. 30.

CAP.

CAP. V.

Anno 266.

THEOGNOSTUS.

Athanaſ. de Syn. Nicænæ decret. p. 420. Commelin.

EOdem loci paulò ſuperius Theognoſti viri diſerti contra Arianos intorquet idem Athanaſius, ita ſcribentis in ſecundo Hypotypoſeῶν.

Chriſtus non ex rebus extraneis aut non entibus, ſed ex Patris ſubſtantia.

'Non forinſecus aut ex rebus extraneis 'Filii ſubſtantia conſtat, neque ex non-en'tibus producitur (*ut poſtea Arius blaſphemavit*) ſed ex Patris ſubſtantiâ (*quæ indiviſa & eadem numero eſt*) ita progenitus eſt ut 'à luce jubar, ut ex aquâ vapor. Neque 'enim vapor id ipſum eſt quod aqua, neque 'jubar id ipſum quod ſol, ſed non alienum 'tamen, verum ut profluentem (ἀπόῤῥοιαν) 'eum eſſe dicas Patris ſubſtantiæ, ita ut in'terim ſubſtantia illa Patris diviſionem mi'nimè patiatur. Ut enim ſol non diminui'tur ſuis ex ſe profluentibus radiis, ita nec 'ſubſtantia Patris diminutionem ſuſtinet, 'imaginem ſui Filium progignens. Hæc Theognoſtus. Ex quibus oſtenditur (inquit alibi Athanaſius) hæreſin Chriſto rebellium Arianorum non jam primum (ſcil. in Concilio Nicæno) ſed olim ab omnibus damnatam fuiſſe.

CAP.

CAP. VI.

DIONYSIUS ALEXANDRINUS.

Floruit ann. 268.

PErgit Athanaſius, & ex ſupra laudati Theognoſti (qui ante Synodum Nicænam floruit) ſcriptis, Dionyſii Epiſcopi Alexandrini hiſtoriam compingit. ‘Hic ‘(*inquit*) contra Sabellii hæreſin ſcriptis ‘agens, refellenſque Patrem fuiſſe carnem ‘factum, ſed Verbum ejus induiſſe, inſi‘mulatus à quibuſdam quòd Filium crea‘turam nominaſſet, eumque factum eſſe & ‘non fuiſſe conſubſtantialem Patri dixiſſet, ‘ad Dionyſium Romanum Epiſcopum in ‘depulſionem criminis ſcribit ſe neutiquam ‘dixiſſe Filium factum eſſe, quem Patri ‘conſubſtantialem liberè confitetur. Illius ‘autem forma loquendi (*inquit Athanaſius*) ‘talis eſt :

De Decret. Syn. Nicænæ ſupra.

‘In aliâ epiſtolâ ſcripſi, qua demonſtravi ‘falſum eſſe crimen quod mihi impingunt, ‘quaſi dixiſſem Chriſtum non eſſe conſub‘ſtantialem Deo. Etſi hoc nomen conſub‘ſtantialitatis dixerim non inveniri uſquam ‘in S. literis, tamen argumenta mea à ‘reipsâ ſignificationeque vocabuli non ablu‘dunt. Nam & humanam procreationem ‘in comparationem adduxi ut congenerem. ‘eoque ſolo eſſe parentes diverſos à liberis ‘quòd ipſi ſui liberi non eſſent, neque viciſſim ‘liberi ſui ipſorum parentes. Plantam etiam ‘dixi,

Nec ὀσίας, ingeniti, ut Athanaſ. de Synod. Arim. & Seleuciæ. Relativa diſtinctio.

'dixi, ſive à ſemine ſive à radice procreata 'ſit, diverſam eam eſſe ab eo undè progerminata ſit; ſed tamen cum eo omninò 'naturâ convenire. Fluviumque dixi à fonte 'profluentem, aliud quidem nomen ſortiri, 'neque enim fontem fluvium, nec fluvium 'fontem dici, ſed tamen utrumque ſimul 'exiſtere, & fluvium eſſe aquam ex fonte. 'Cæterùm neque opus aliquod eſſe neque 'creaturam Verbum Dei, ſed proprium ſub'ſtantiæ germen, idque indiviſibile. ἀλλ' 'ἴδιον τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας γέννημα ἀδιαίρετον. Hæc ſe hæreſeos purgans Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus ad Romanum cognominem.

Verum Dionyſii hujuſce Alexandrini (quem Ariani poſtea fraude & calumniá in ſuas partes, & quaſi commilitium trahere ſategerunt) vindicias Reverendiſſimus Athanaſius prolixè egit in ſingulari tractatu (qui inter opera ejus etiamnùm extat) inſcripto, *De ſententiâ Dionyſii contra Arianos.* Ubi novorum, ut eos appellat, Judæorum in Chriſtum Dominum odium, & in Sanctos Patres mendaces Sycophantias luculenter demonſtravit. Lectoris patientiâ ambitioſius abuterer, ſi omnia tranſcriberem illinc melius petenda. Inter alia quæ in Apologiâ, ſui ab omni hæreſis ſuſpitione purgandi causâ, conſcriptâ congeſſit venerandus ſenex Dionyſius, hæc inprimis notanda ſunt:

'Nunquam fuit (*inquit*) quando Deus non erat

Similitudines hæ quantum creaturæ ſuppeditare poſſunt unitatis in Trinitate illuſtriſſimæ ſunt niſi aliam eſſentiam infinitam præter divinæ exegeris. Vid. in Symb.

Chriſtus ſubſtantiæ divinæ germen proprium eſt, non modo indiviſum ſed indiviſibile, ac proinde idem numericé.

'erat Pater, & poſtea agnoſcit Chriſtum 'Verbum & Sapientiam & Virtutem Dei 'ſemper fuiſſe. Nihil enim horum, quum 'Deus exiſteret, factum eſſe, neque poſte'rius Filium genuiſſe, Filiumque non ex ſe, 'ſed ex Patre ſuam eſſentiam nactum eſſe. '*Et paulo poſt*, Jam quia ſplendor eſt æter'næ lucis, omnibus modis ipſe quoque æ'ternus eſt. Luce enim ſemper exiſtente, 'certum eſt ſplendorem ſemper exiſtere '---non enim fieri poteſt ut lux non lu'ceat.

Apud Athanaſ. p. 436.

Chriſtus ſemper & ab æterno à Patre genitus.

Paulò poſt. 'Exiſtente igitur æterno Pa'tre exiſtit & æternus Filius, lumen de lu'mine.---*Et mox.* Solus Filius cum Patre 'ſemper coexiſtit---& ipſe ex Patre exiſtit. 'Eſt cur Arius dentibus ſtrideat (*infert* '*Athanaſius*) cum videat hæreſin ſuam à 'Dionyſio ſubverti.

Pag. 437.

In ſecundo volumine hæc habet Dionyſius Alexandrinus. 'Iſti ignorant Patrem à Filio 'alienari non poſſe--& in Patris Filiique 'manibus eſſe Spiritum S.

Et paulò poſt. 'Hoc pacto unitatem quæ 'indiviſibilis eſt in Trinitatem dilatamus, & 'Trinitatem, quæ diminui non poteſt, in 'unitatem conſummamus, & tamen accu'ſamur quaſi qui dicamus Filium unum 'eſſe ex numero rerum factarum, & ne'quaquam ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, Patri conſub'ſtantialem.

Unitas in Trinitate, Trinitas in unitate.

Filius Patri ὁμοούσιος.

Alibi Athanaſius hæc Dionyſii Alexandrini cum laude memorat. 'Deſertum di-

Ep. cont. Samoſaten.

'cis eum qui erat naturâ Dominus--& quem 'Patres S. ὁμοούσιον appellarunt.

Epiſt. ad Amphiloch.

His adjiciam quæ ex ſecundâ ad Dionyſium Romanum epiſtolâ Dionyſii Alexandrini nomine citat Magnus Baſilius. 'His congruenter & nos etiam formâ regulâque à 'ſenioribus acceptâ concordibus vocibus 'cum illis gratias agere; ac nunc etiam 'vobis ſcribere deſinemus. Deo autem Patri '& Filio Domino noſtro Jeſu Chriſto cum 'Spiritu S. gloria & imperium in ſæcula ſæ'culorum. Amen.

Atque hæc, de Dionyſio tum Romano tum Alexandrino, dicta ſufficiant, undè quænam fuerit Eccleſiæ primitivæ circa Chriſti cum Patre Conſubſtantialitatem ſententia omnibus liquido ſatis innoteſcat.

CAP. VI.

CYPRIANUS.

Anno 256.

CLariſſimis, Sanctiſſimis Doctiſſimiſque hiſce Catholicæ Eccleſiæ Patribus calculum ſuum apponat glorioſiſſimus Martyr, totius Africæ Primas, Cyprianus.

De Oratione Dom. pag. 159. edit. Pamelii.

Is in commentario in orationem Dominicam pacem & concordiam commendans, hæc habet. 'Sacrificium Deo majus eſt pax 'noſtra & fraterna concordia, & de unitate

'tate Patris & Filii & Spiritus S. plebs
'adunata.

Poſt nonnulla. 'In orationibus verò ce-
'lebrandis invenimus obſervaſſe Danielem,
'horam tertiam, ſextam & nonam, Sacra-
'mento ſcil. Trinitatis, quæ in noviſſimis
'temporibus manifeſtari habebat. Nam &
'prima hora in tertiam veniens conſumma-
'tum numerum Trinitatis oſtendit, &c. Ubi
plura in eundem ſenſum videat cui animus
eſt.

Ibid. p. 160.

Alio in libro de Chriſto agens; 'Deus
'cum homine miſcetur. Hic Deus noſter. Hic
'Chriſtus eſt. Quanquam paulò ante, ido-
lorum vanitatem arguens, ſcripſiſſet, 'Unus
'omnium Dominus eſt Deus. Neque enim
'illa ſublimitas poteſt habere conſortem,
'cùm ſola omnem teneat poteſtatem.

De Idolorum vanitate, pag. 170.

Iterum poſt pauca. 'Judæi qui illum
'(h.e. *Chriſtum*) hominem tantum credi-
'derant, de humilitate carnis & corporis,
'exiſtimabant Magum de licentiâ poteſtatis.
Chriſtum igitur tantùm hominem & non
Deum reputare purus putus Judaiſmus eſt.
Hinc Conſtantinus, Athanaſius, aliique,
Arianos novos Judæos appellârunt.

Ibid.

Vid. Tertull. Apologet. ſupra.

Alibi. 'Nec hoc, Fratres, Jeſus Chriſtus
'Deus & Dominus noſter tantum verbis do-
'cuit, ſed implevit & factis. De obedien-
tiâ diſſerens.

De bono patientiæ, pag. 184.

Poſt non pauca illa Pſalmi 49. rememo-
rans, *Deus manifeſtus veniet, Deus noſter &
non ſilebit*, ſubdit. *Hic* (*nimirùm* Chriſtus)
eſt Deus noſter.

Ibid. p. 187. Chriſtus Deus.

Eodem loci ad calcem hæc invenias. ‘ Pater præcepit Filium ſuum adorari, & Apoſtolus Paulus divini præcepti memor dicit, ‘ *Deus donavit illi nomen,--ut in nomine Jeſu* ‘ *omne genu flectatur* ; & in Apocalypſi Angelus Joanni volenti adorare ſe reſiſtit, & dicit, *Vide ne feceris--Jeſum Dominum* (ita ‘ legit Cyprianus) *adora.*

Phil. 2. 8.

Apoc. 22. 9.

Alibi variis ſcripturarum teſtimoniis adverſus Judæos ex profeſſo probat. 1. Quòd idem Chriſtus & angelus qui Patriarchis apparuit, & Deus eſt. 2. Quòd Chriſtus verus Deus eſt. 3. Quòd & homo & Deus Chriſtus eſt utroque genere concretus, ut Mediator eſſe poſſet inter nos & Patrem. Laudatos locos Lector, ſi velit, conſulat. In cæteris Cypriani tractatibus (genuinos intelligo & indubitatos) nihil quod præſentem cauſam ſpectat, ni malè memini, occurrit.

Lib. 2. adverſus Judæos, cap. 5. 6. 8. 10.

Tranſeamus ad EPISTOLAS.

Primus quem legenti mihi obſervare contigit locus eſt in epiſtolâ Cornelii Papæ ad Cyprianum. ‘ Nec ignoramus unum Deum ‘ eſſe, unum Chriſtum eſſe Dominum, quem ‘ confeſſi ſumus (*Confeſſorum maximi ſociorumque verba repetens*) unum Spiritum S. ‘ unum Epiſcopum in Catholicâ Eccleſiâ eſſe ‘ debere. Ultima verba Novatianum pſeudo-Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ perſtringunt, Cypriani æmulum ; ut docti norunt.

Epiſt. 46. Edit. Pamelii.

Alibi hæc ſcribit Cyprianus ipſe. ‘ Conſiderare

Epiſt. ad Jubaianum 73. pag. 105.

'derare itaq; debemus fidem eorum qui foris 'credunt an ſecundum eandem fidem poſſint 'aliquid gratiæ conſequi. Si eundem Pa-'trem, eundem Filium, eundem Spiritum 'S. eandem Eccleſiam confitentur nobiſcum. Ubi Trinitatis fidem Catholicos tenuiſſe manifeſtum eſt.

Trinitatis fides, Catholica fides.

Poſt pauca addit. 'Dominus poſt reſur-'rectionem Diſcipulos ſuos mittens quem-'admodum baptizare deberent inſtituit, di-'cens, *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos* '*in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.* In-'ſinuat Trinitatem, cujus Sacramento gen-'tes baptizarentur. Nunquid hanc Trini-'tatem Marcion tenet?

Epiſt. 73. ad Jubaianum 1. p. 105.;

Ibidem poſt nonnulla. 'Si baptizari quis 'apud hæreticos potuit,utiq; & remiſſam pec-'catorum conſequi potuit. Si peccatorum re-'miſſam conſecutus eſt,& ſanctificatus eſt, & 'templum Dei factus eſt: Quæro cujus Dei? 'Si creatoris; non potuit, qui in eum non 'credidit. Si Chriſti; nec hujus fieri poteſt 'templum qui negat (*audiant Hæretici*) 'Deum Chriſtum. Si Spiritûs Sancti; cùm '*tres unum ſint*, quomodo Spiritus S. placatus 'eſſe ei poteſt, qui aut Patris aut Filii ini-'micus eſt. Vide Lector, Pater, Filius & Spiritus S. hi tres unum ſunt.

Ib. pag. 106.

Chriſti non poteſt eſſe templum qui eum negat eſſe Deum.

1 Joh. 5. 7. Pater, Filius, Spiritus S. unum ſunt.

Iterum in eadem epiſtolâ. 'Quomodo qui-'dam dicunt foris extra Eccleſiam immò 'contra Eccleſiam, modò in Nomine Jeſu 'Chriſti, gentilem ubicunque quomodo-'cunque baptizatum remiſſionem peccato-

Pag. 107.

‘rum conſequi poſſe, quando ipſe Chriſtus ‘gentes baptizari jubeat in plenâ & adunatâ Trinitate. Hæc Cyprianus ad Jubaianum hæreticorum in fide cæſpitantium Baptiſmum impugnans.

Epiſt. 75. p. 115. Liceat his Firmiliani, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi celeberrimi verba ſubnectere in Epiſtola ad Cyprianum, cùm præſenti argumento conſona ſint.

‘Satis eſt breviter illud in compendio ‘dicere, eos qui non teneant verum Dominum Patrem, tenere non poſſe nec Filii ‘nec Spiritûs S. veritatem. Secundum quod ‘etiam illi qui Καταφρυγες appellantur, & ‘novas Prophetias uſurpare conantur, nec ‘Patrem poſſunt habere, nec Filium, nec ‘Spiritum S.

Iterùm ad calcem EPISTOLÆ.

‘Porrò cum nobis & hæreticis nec Deus ‘unus ſit, nec Dominus unus, nec fides una, ‘ſed nec Spiritus unus, nec unum corpus ‘manifeſtum, nec Baptiſma nobis & hæreticis commune eſſe poſſe.

Epiſt. 77. ad Magnum. Cyprianus alibi in hunc modum Novatianum Schiſmaticum exagitat. ‘Quod ſi ‘aliquis illud opponat ut dicat eandem Novatianum legem tenere quam Eccleſiæ Catholica teneat, eodem Symbolo (*fidei*) quo ‘& nos baptizare, eundem noſſe Deum Patrem, eundem Filium Chriſtum, eundem ‘Spiritum Sanctum ac propter hoc uſurpare eum poteſtatem baptizandi poſſe, ‘quod videatur interrogatione Baptiſmi à nobis

'nobis non diſcrepare; ſciat quiſquis hoc 'opponendum putavit, primùm non eſſe 'unam nobis & Schiſmaticis Symboli le- 'gem. Quibus ſtatim addit. 'Quod verò 'eundem quem & nos Deum Patrem, eun- 'dem Filium Chriſtum, eundem Spiritum 'S. noſſe dicuntur, nec hoc adjuvare ta- 'les poteſt: nam & Chori, Dathan & Abi- 'ron cum Aarone Sacerdote & Moſe eundem 'Deum noverant, pari lege & religione vi- 'ventes, &c. Hæc Cyprianus. Vid. locum.

Qui plura deſiderat conſulat, ſi lubet, Sermones, De Nativitate Chriſti, De Baptiſmo Chriſti, De Spiritu S. Tractatum de expoſitione Symboli Ruffino adſcriptum. Nobis viſum eſt genuinis & indubitatis Cypriani ſcriptis præſentem cauſam ornare. His adjicias quæ me ſubterfugerunt. 'Gratias egi- 'mus Deo Patri omnipotenti & Chriſto 'ejus---Deo noſtro ſalutari. Necnon illa ad Pompeium. *Ubi blaſphematur in Dominum Deum Chriſtum.* Ad inſcriptionem epiſtolæ ad Magnum, *Chriſti Dei conſervatoris noſtri.* Plura Trinitatem ſpectantia vix reperies

Epiſt. 47 ad Cornelium in initio.
Epiſt. 74. ad Pompeium pag. 112.
Epiſt. 77.

Seculum Quartum.

C A P. I.

A R N O B I U S.

Anno Chriſti 302.

SAcro huic doctiſſimorum Patrum Choro ſe adjungat Rhetor fortis Arnobius.

Lib. 1. pag. 20. Edit. Leandri 1634.

Hic poſtquàm ſcripſiſſet Chriſtianos Deum Principem, ſummitatem omnium ſummorum obtinentem, adorare (quod laudandum inquit potius quàm odio proſequendum eſſet) Gentilem introducit regerentem, 'Non idcirco Dii vobis infeſti ſunt 'quòd omnipotentem colatis Deum, ſed 'quòd hominem natum, & crucis infami 'ſupplicio interemptum & Deum fuiſſe con'tenditis---& quotidianis ſupplicationibus 'adoratis. Nihil horum negat aut ullo modo amolitur Arnobius, ſed (Juſtini aliorumque Patrum veſtigiis inſiſtens) retorquet argumentum in Gentes. 'Natum '(*inquit*) hominem colimus. Quid enim? 'Vos hominem nullum colitis.---Si vos Li'berum; quòd uſum repererit vini, ſi quòd 'panis Cererem---honoribus quantis affi'ciendus eſt nobis qui ab erroribus nos 'magnis inſinuatâ veritate traduxit? &c. 'Chriſtus non habeatur à nobis Deus? Nec 'qui omnium alioquin vel maximus (*quod* '*notandum*)

Chriſtianorum cultus.

Ib. 1. 21.

'*notandum*) poteſt excogitari Divinitatis 'afficiatur cultu? Sed patibulo affixus in-'teriit. Quid iſtud ad cauſam? Nonne Li-'berum & vos Patrem membratim à Tita-'nibus diſſipatum fanorum conſecrationi 'aptatis? nonne Æſculapium poſt pœnas '& ſupplicia fulminis? nonne Herculem 'concrematum & Romulum Senatorum ma-'nibus dilaceratum in ædibus adoratis am-'pliſſimis? Chriſtus Deus maximo cultu afficiendus eſt. Deus igitur eſt Opt. & maximus.

Poſt nonnulla. 'Natum hominem(*dicitis*) 'colitis? ſcil. vos Chriſtiani. Etiamſi eſſet 'id verum (h. e. ſi verum eſſet Chriſtum fuiſſe nudum & merum hominem, quod ut minime verum diffitetur Arnobius) 'tamen 'pro multis & tam liberalibus donis quæ ab 'eo profecta in nobis ſunt, Deus dici appella-'rique deberet. Cùm verò Deus ſit (non ſolo nomine & æquivocè ſed) 're certâ & 'ſine ullius rei dubitationis ambiguo inficia-'turos arbitramini nos eſſe, quàm maximè 'illum à nobis coli, & præſidem noſtri cor-'poris nuncupari? Ib. pag. 23.

Quibus addit. 'Ergone inquiet aliquis 'furens, iratus & percitus, Deus ille eſt 'Chriſtus? Deus reſpondebimus & interio-'rum (quod Diis æquivocis & nominalibus, ut ita loquar, minimè competit) 'potentia-'rum (ſcil. *animæ*) Deus. Pag. 24.

Animadverte, Lector, quàm diſertè Chriſtum Deum eſſe profiteatur ſuo & Chriſtianorum omnium nomine Rhetor noſter ſeu Advocatus Arnobius; idque non appella-

tione

tione ſolâ tenus, aut ſono vocis ambiguo vel æquivoco, ſed re, eaque certâ & ſine ullius dubitationis ambiguo. Quid planius dici potuit ad refellendas Hæreticorum argutias & ſubdolas tergiverſationes? Quod ipſum (ſcilicet Chriſtum eſſe revera Deum) ex miraculis ab eo patratis confirmat. Ita enim propoſitum perſequens perorat divinus Rhetor. 'Poſtulabit forſitan (*Gentilem* '*alloquitur*) inſanior & furioſior factus, an 'ſe ita res habeat quemadmodum dicimus 'comprobari. Nulla major eſt (*inquit*) com- 'probatio geſtarum ab eo rerum quàm vir- 'tutum novitas. Has Chriſtus ſine ullis ad- 'miniculis rerum, ſine ullius ritus obſerva- 'tione vel lege, nominis ſui poſſibilitate '(vel *poteſtate*) fecit.---Paulo inferius. *Admotâ partibus debilitatis manu, aut vocis ſimplicis juſſione.*

Ibid. p. 25. Miracula intelligit.

Pergit Arnobius & poſt nonnulla interpoſita, probat Chriſtum non nudum hominem, ſed etiam Deum fuiſſe ex miraculorum famulitio quæ mortem ejus conſecuta ſunt, Terræ motus, Solis Eclipſis, &c. Deindè reſpondet Gentilium exceptionibus, cur ſi Chriſtus Deus fuerit, in formâ hominis viſus eſt, & more hominis, morte, eâque crucis, interemptus. Sed præſtat ipſum audire. 'Sed ſi Deus (*inquiunt Gentiles*) fuit 'Chriſtus, cur formâ eſt in hominis viſus? '& cur more eſt interemptus humano? Re- 'ſpondet Arnobius. An aliter potuit inviſi- 'bilis illa vis, & habens nullam ſubſtan-

Ib. p. 31.

Pag. 36.

'tiam corporalem, inferre ſe & commoda-'re mundo, conciliis intereſſe hominum, 'quam ut aliquod tegmen materiæ ſolidio-'ris aſſumeret quod oculorum ſuſciperet in-'jectum? ---Mors illa quam dicitis aſſum-'pti hominis fuit; ipſius geſtaminis non 'geſtantis.

Chriſtus ſua propria naturâ inviſibilis.

Pag. 37.

Hinc rectè colligas Verbum eſſe ſecundum propriam naturam incorporeum & inviſibile. 'Non enim ipſe (*ut paulò ante monuerat*) interemptus eſt. Neque enim ca-'dere divinas in res poteſt mortis occaſus, 'nec interitionis diſſolutione dilabi id quod 'eſt unum & ſimplex, nec ullarum partium 'congregatione compactum.

Intellige quoad divinam naturam.

Nec illa prætermittere fas eſt quæ mihi properanti penè exciderunt. 'Nihil (*ut re-'mini vos Gentiles*) magicum, nihil præſti-'gioſum, in Chriſto. Derideatis licet ex 'more, atque in laſciviam diſſolvamini ca-'chinnorum. Deus ille ſublimis fuit, Deus 'ab intimâ radice. (Hoc quid aliud obſecro ſonat quàm ex ipsâ Patris Principis ſubſtantiâ & eſſentiâ?) 'Deus ab incognitis re-'gnis (*fortè regionibus*) & ab omnium Prin-'cipe (ſcil. *Patre principio Deitatis*) Deus 'ſoſpitator miſſus eſt. Pater igitur ita Princeps Deus ratione generationis & originis agnoſcitur, ut Filius etiam Deus ab intimâ radice, ſecundum Arnobii fidem, celebratur. Fructus autem ejuſdem naturæ, etiam numericæ, eſt (quod ſatis notum) cum radice è qua indivisè oritur. Memineris etiam

Lib. 1. pag. 31.

Lib. 2. pag. 81.

Ex uno Deitatis fonte Origen. Homil. 5. in Joſuam.

ſimile

ſimile, præſertim cùm de infinitâ & incomprehenſibili naturâ agitur, non eſſe idem.

Alibi hæc habet. ‘Et ideo Chriſtus licet ‘vobis invitis (*Gentes affatur*) Deus; Deus ‘inquam Chriſtus: hoc enim ſæpè dicen-‘dum eſt (ut infidelium diſſiliat & dirum-‘patur auditus) Dei principis juſſione lo-‘quens ſub hominis formâ, &c.

In reliquis Arnobii libris haud plura invenies præſenti argumento accommoda, niſi illa adjicienda exiſtimes in initio libri ultimi adverſus Gentes, quæ ita ſonant. ‘Ex vobis audire (*inquit*) conſuevimus Deos ‘eſſe quàm plurimos, & numinum in ſerie ‘(vel *ſeriem*) computari. Qui ſi ſunt, ut ‘dicitis, uſpiam, verique eos eſſe conſequi-‘tur ſui conſimiles nominis, id eſt, tales qua-‘les eos univerſi debere eſſe conſpicimus, & ‘nominis hujus appellatione dicendos. Qui-‘nimo (*ut breviter finiam*) qualis Domi-‘nus rerum eſt, atque omnipotens ipſe, ‘quem dicere nos omnes Deum ſcimus atq; ‘intelligimus verum, cum ad ejus nominis ‘acceſſimus mentionem. Deus enim ab ‘altero, in eo quòd Deus eſt, nullâ in re ‘differt, nec quod unum eſt genere ſuis eſſe ‘in partibus minus aut plus poteſt, quali-‘tatis propriæ uniformitate ſervatâ. Ex his in promptu cuivis eſt colligere: Si Chriſtus ſit Deus non tantum nominis ambiguo titulo, ſed (ut ſupra ſcripſit Arnobius) *re certâ* & *indubitatò* planiſſimè conſequitur, Filium

Lib. 7. in initio.

Filium eſſe Patri conſubſtantialem & coæqualem ſeu uniformem. Deus enim propriè ſic dictus, in eo quod Deus eſt, ab altero nullâ in re differt, nec ſuis in partibus minus aut plus eſſe poteſt, qualitatis propriæ uniformitate ſervatâ.

Hæc Arnobius Gentilium Deos inferiores, ſive Semideos, impugnans. Certum igitur fixumque maneat, nullam eſſe in naturâ divinâ, ſeu Sanctiſſimâ Trinitate difformitatem, nihil alienum aut adventitium, Chriſtumque, ſi modò propriè Deus ſit, eandem ſine ullâ difformitate aut inferioritate naturam ſeu eſſentiam cum Patre ſortiri. Divinitas enim apud Chriſtianos gradum non habet, utpotè unita (uti Tertullianus rectiſſimè obſervavit) ſed Gentiles.

Deus non eſt niſi ſummum magnum--negas Deum quem dicis deteriorem--minorem. Tert. cont. Marcion. lib. 1. cap. 6. Cont. Hermog. cap. 7.

CAP. II.

LACTANTIUS.

Ann. 316.

SAnctorum Patrum agmen venerabile claudat Chriſtianus Cicero Lactantius omnium eloquentiſſimus. Lacteum (quod olim de Tito Livio dictum eſt) dicendi flumen, melle commixtum.

Is in libro de verâ Sapientiâ (alibi enim nihil reperio huic quæ præ manibus eſt cauſæ inſerviens) de Chriſto Domino noſtro diſſerens hæc habet apprimè notanda.

Inſtit. l. 4. cap. 6. edit. Gallai p. 364.

' Deus machinator conſtitutorque rerum, antequam

‘ antequam præclarum hoc opus mundi
‘ adoriretur (h. e. Scripturæ uſitatiſſimâ
Pſal. 90. 2. Eph. 1. 3. Prov. 8. 23, 25, 26. phraſi ab æterno) ‘ Sanctum incorruptibi-
‘ lem Spiritum genuit, quem Filium nun-
‘ cupavit. Et quamvis alios poſtea innume-
‘ rabiles per ipſum creaviſſet, quos Angelos
‘ dicimus, hunc tamen ſolum primogeni-
‘ tum divinâ nominis appellatione dignatus
‘ eſt, patriâ ſcilicet, virtute & majeſtate pol-
‘ lentem. Eſſe autem ſummi Dei Filium
‘ non tantum congruentes in unum voces
‘ Prophetarum, ſed etiam Triſmegiſtus &
Clem. A. Strom. 6. ſupra. ‘ Sibyllæ demonſtrant. Ubi animadverten-
dum eſt, Deum Filium ſuum genuiſſe, cæ-
tera per ipſum creaviſſe, eoque non tan-
tum ut conſiliario ſed etiam ut artifice, in
mundi creatione uſum fuiſſe, patriâ ſcil.
virtute (h. e. omnipotentiâ) & majeſtate
pollente.

Cap. 8. Chriſtus bis natus eſt. Poſt nonnulla hæc habes. ‘ In primis te-
‘ ſtificamur illum (ſcil. *Chriſtum*) bis natum
‘ eſſe. Primum in Spiritu (h. e. *ſecundum*
‘ *divinam naturam.*) Undè apud Hieremiam
‘ ita dicitur. *Priuſquam te formarem in utero*
Jerem. 1. 5. ‘ *novi te.* Et item apud ipſum. *Beatus qui*
Locum non reperio. ‘ *erat antequam naſceretur*; quod nulli alii
‘ contigit præter Chriſtum. Qui cum eſſet
‘ à principio Filius Dei, regeneratus eſt de-
‘ nuo ſecundum carnem. Chriſtus igitur
Dei Filius erat à principio (quicquid So-
ciniani ſomniant) ante incarnationem ſuam
natus & genitus.

Ibid. Pergit Lactantius demonſtrare Dei Fi-
lium

lium non humano more ex connubio generatum fuiſſe, ſed modo inintelligibili & planè inenarrabili (undè colligas neutiquam ex nihilo creatum fuiſſe) 'Sanctæ tamen '(*inquit*) literæ docent eſſe Dei Sermonem 'ſive Rationem.---Quòd ſi quis miratur ex 'Deo Deum prolatione vocis ac Spiritûs potuiſſe generari, ſi ſacras voces Prophetarum cognoverit deſinet mirari?

Poſt nonnulla hæc addit. 'Propheta, (ſcil. '*Eſaias*) declaravit hoc nomine (nimirùm '*Hemanuel*) quod Deus ad homines in carne 'venturus eſſet. Cap. 12.

Iterùm capite proximo. 'Summus igitur 'Deus ac parens omnium, cùm religionem 'ſuam transferre voluiſſet, doctorem juſtitiæ miſit è cœlo, ut novis cultoribus novam legem in eo, vel per eum, daret, non 'ſicut ante fecerat per hominem (ſcil. *Moſem*) ſed tamen naſci eum voluit, tanquàm 'hominem, ut per omnia ſummo Patri. Cap. 13.

Chriſtus non eſt merus homo.

Ipſe enim Pater Deus, & origo & principium rerum quoniam parentibus caret, 'ἀπάτωρ & ἀμήτωρ à Triſmegiſto veriſſimè 'nominatur: Idcircò etiam Filium bis naſci 'oportuit ut ipſe fieret ἀμήτωρ.---Factus eſt '& Dei Filius per Spiritum, & hominis per 'carnem, i. e. & Deus & homo.

Poſt haud pauca eos redarguit qui Deo indignum exiſtimarunt, ut homo fieri vellet. Unde colligas Chriſtum revera & ſubſtantialiter, non nomine tantum, gratiâ aut poteſtate, Deum fuiſſe. Nulla ſanè Deo metaphorico

taphorico aut nuncupativo indignitas adeò pudenda eſſet hominem fieri.

Ibid. Cap. 25. Chriſtus Deus & homo.

Alibi hæc invenias notatu digna. 'Habebit (ſcil. *Chriſtus*) ſpiritalem Patrem 'Deum; & ſicut Pater ſpiritûs ejus Deus 'ſine Matre, ita Mater corporis ejus Virgo 'ſine Patre. Fuit igitur & Deus, & homo, 'inter Deum & hominem medius conſti'tutus. Undè illum Græci μεσίτην vocant, 'ut hominem ad Deum perducere poſſet.

Ex utroque permiſtus: ut ait cap. 13.

Cap. 29. Objectio hæreticorum & Ethnicorum contra Chriſti Deitatem.

Tandem objectionem proponit hiſce verbis. 'Fortaſſe quærat aliquis, quomodò cùm 'Deum nos unum colere dicamus, duos ta'men eſſe aſſeveramus; Deum Patrem & 'Deum Filium? *Reſpondet Lactantius.* Cùm 'dicimus Deum Patrem & Deum Filium, 'non diverſum dicimus, nec utrumque ſe'cernimus (h.e. ut poſtea explicat, quoad ſubſtantiam; quod eſſet plures Deos ſeparabiles aſſeverare) 'quia nec Pater ſine Fi'lio poteſt eſſe, nec Filius à Patre ſecerni; 'ſiquidem nec Pater ſine Filio nuncupari, 'nec Filius poteſt ſine Patre generari. Cùm 'igitur & Pater Filium faciat, & Filius fa'ciat Patrem, (*Relativa enim ſe mutuo po'nunt*) una utrique mens, unus ſpiritus, una 'ſubſtantia eſt. Hinc planiſſimè conſequitur Filium eſſe Patri (ut Nicæno Concilio declaratum eſt) ὁμοούσιον ſeu conſubſtantialem, cùm ejuſdem ſubſtantiæ ſit, Lactantio perhibente, cum Patre.

Una Patri & Filio non modo mens, ſed ſubſtantia. Sunt igitur ὁμοούσιοι numericè, ne Dii plures colantur à Chriſtianis ut ab Ethnicis.

Sententiam ſuam clarius explicatam dat his verbis. 'Ille (ſcil. *Pater*) quaſi exube-

rans

'rans ſons eſt. Hic (nimirùm *Filius*) tan-
'quam defluens ex eo rivus. Ille tanquam
'Sol. Hic quaſi radius à Sole porrectus. Qui
'quoniam ſummo Patri & fidelis & charus
'eſt, non ſeparatur, ſicut nec rivus à fonte,
'nec radius à Sole; quia & aqua fontis in
'rivo eſt, & Solis lumen in radio. *Quibus*
'*addit*, Æquè neque vox ab ore ſejungi, nec
'virtus aut manus, à corpore divelli poteſt.
'Cùm igitur à Prophetis idem manus Dei
'& Virtus & Sermo dicatur (de *Chriſto*
'*agit*) utique nulla diſcretio eſt; quia &
'lingua Sermonis miniſtra eſt, & manus, in
'quâ eſt virtus, individuæ ſunt corporis por-
'tiones. Quemadmodum igitur aqua fontis
in rivo & manus in corpore individuè ſeu
indiviſè & conſubſtantialiter inſunt; ſimi-
liter Chriſtus in Patre. Creaturam autem
ullam ex nihilo factam, quamvis maximâ
virtute aut poteſtate præditam, Deo indi-
viſè & conſubſtantialiter ineſſe, impoſſibile
planè eſt & dictu nefandum.

Similitudines iſtæ identitatem numericam indicant.

Poſt pauca admodum egregiè diſſerit in
hæc verba ſummè notanda. 'Unum Deum
'eſſe tam Patrem quàm Filium, Eſaias
'oſtendit cùm diceret, *Sic dicit Deus Rex* Iſai 46. 9.
'*Iſrael, & qui eruit eum Deus æternus. Ego*
'*primus & ego noviſſimus, & præter me nemo*
'*Deus.* Et alio in loco. *Adorabunt te, & in* Iſai. 45. 14.
'*te precabuntur, quoniam in te Deus eſt, &*
'*non eſt alius Deus præter te.* Cùm duas per-
'ſonas propoſuiſſet Dei & Regis, id eſt,
'Chriſti & Dei Patris, qui eum poſt paſ-

'ſionem ab inferis revocavit--- tamen ad 'utramq; perſonam referens intulit, *Et præter me non eſt Deus*, cùm poſſet dicere, præter nos. Sed fas non erat plurali numero 'ſeparationem tantæ neceſſitudinis fieri. 'Unus enim eſt ſolus Deus ſummus, carens 'origine, quia ipſe eſt origo rerum, & in 'eo ſimul & Filius, & omnia quanquam diverſimodè continentur. Quapropter cum 'mens & voluntas alterius in altero ſit, vel potius una in utroq; meritò unus Deus (*inquit*) 'uterque appellatur, quia quicquid eſt in 'Patre ad Filium transfluit, & quicquid in 'Filio à Patre deſcendit. Non poteſt igitur 'ille ſummus ac ſingularis Deus niſi per Filium coli. Qui ſolum Patrem ſe colere 'putat, ſicut Filium non colit, ita ne Patrem quidem. Quid plenius aut diſertius obſecro, Chriſtiane Lector, dici potuit? Quicquid eſt in Patre ad Filium transfluit. Audiant hæc qui ſub prætextu vitandi Polytheiſmi (Lactantio cæteriſque Patribus inviſi) Filium Dei Deum negant, in gloriam ſcil. Dei Patris. Sanè ſi mens & voluntas Patris in Filio ſit, immò ſi una ſit utriuſq; invictè ſequitur (quod infert Lactantius) unum Deum, idque (ut paulò ante ſcripſerat) ſubſtantiâ, utrumque meritò appellari. Cum mens & voluntas divina eadem omnino res ſeu ſubſtantia ſit cum eſſentiâ ſummè ſimpliciſſimâ; ſimiliter. ſi quicquid eſt in Patre ad Filium transfluit, ut habet Orator noſter Catholicus; quiſquamne dubitet,

Duæ igitur perſonæ ſunt Pater & Filius, ſed unus idemq; Deus.

Ignominia in Filios ad Patrem refertur. Epiphan. in Ancorato.

Vid. Orig. Hom. 18. in Lucam.

Cap. 29. ſupra.

bitet, Filium Patri Deum conſubſtantialem coæqualem & coeſſentialem confiteri? Hæc creaturæ ulli in tempore, quanquam ante alias omnes factæ, & quantâlibet virtute, poteſtate aut majeſtate cæteris præcellenti, tranſcribere, quid aliud eſſet quam illuſtriſſima, non modo Catholicæ fidei, ſed rectæ rationis, principia convellere, & Chriſtianam Religionem, Hæreticorum, Judæorum & Mahometanorum deliriis & blaſphemiis, commaculare.

CAP. III.

CONCILIUM ANTIOCHENUM. Anno 272.

COronides vice adjicere libet Concilium Antiochenum ſecundum, ex innumeris Epiſcopis (ut refert Euſebius Cæſarienſis) conflatum. In hoc Concilio Paulus Samoſatenus Antiochiæ Epiſcopus, hæreſcos condemnatus eſt, & tanquam peſtis ex Eccleſiá ejectus.

Vid. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 22. 23. Epiph. Hær. 65. Philaſtr. c. 65.

Docuit Chriſtum non eſſe Filium Dei in ſubſtantiâ, aut Deum ex Deo, ſed κοινὸν ἄνθρωπον; Dei autem appellationem ob benefacta promeruiſſe, Filii Deitatem & ſubſtantiam quantum in ipſo erat, tollens; itemque Spiritûs S. Quam doctrinam ut erroneam, peregrinam, & blaſphemam, Patres Antiocheni, (univerſis, inquit Euſebius, per totum orbem Eccleſiis aſſentientibus)

Ab omnibus Eccleſiis creditus eſt Deus qui ſeipſum exinanivit. Concilium Antiochenum Lib. 5. c. 27.

Vid. Synodi Epiſt. apud Baronium ad ann. 266. & Tom. 6. cap. 1. in fine Concilii Epheſini edit. Pelt. Cyrill. de Incarnat. Verbi, in fine.

Conſule oro Athanaſ. de Synod. Arim. & Seleuciæ p. 706. 708. conſubſtantiale corporaliter acceperunt.

Scriptura Arianis contradicit, non tantum Eccleſiæ traditio vetuſtiſſima.

tibus) damnabant. Hæreſis hæc (ut alibi habet idem Euſebius) ab Artemone mutuatus eſt Samoſatenus; qui docuit Servatorem eſſe Ψιλὸν ἄνθρωπον, merum hominem, talem hominem non eſſe Deo ὁμοούσιον rectiſſimè ſtatuerunt Patres Antiocheni: Quam antiquus author ab Euſebio laudatus refutans, (quandoquidem ejus patroni Hæreticis noſtri temporis non abſimiles illam tanquam veterem & uſque ab antiquis deductam temporibus, efferre ſtudebant) in hunc modum adoritur.

" ' Aiunt iſti majores noſtros & ipſos Apoſto- ' los, ea quæ ipſi affirmant, non modò à ' Domino accepiſſe, verùm etiam alios eadem ' docuiſſe, & veram prædicationem uſque ' ad Victoris tempora integrè ſervatam eſſe, ' ſed à Zephyrino illius ſucceſſore depravatam ' & penitus corruptam fuiſſe. Et profecto ' (*inquit*) quod ab illis dicebatur multum ' fortaſſe videri potuiſſet habere probabilitatis, ' niſi primum S. Scripturæ teſtimonia ' illis contradicerent: deindè, fratrum ' quorundam ſcripta ſupereſſent Victoris ' temporibus multò antiquiora, quæ illi, ' cum contra Gentiles pro veritatis defenſione, ' cùm contra hæreſes, quæ id temporis ' graſſabantur, ſcripſerunt, ut Juſtini, ' Meltiadis, Tatiani, Clementis & aliorum ' nonnullorum; in quorum omnium libris ' Chriſtus verè Deus eſſe confirmatur. Quis ' Irenæi, quis Melitonis, quis cæterorum libros ' ignorat? qui Chriſtum Deum & ho-

' minem

'minem conſtanter aſſeverant. Quot item 'Pſalmi, quot hymni, à Fratribus fidelibus '(quos poſtmodum ſuſtulit Samoſatenus) 'antiquitus perſcripti, qui Chriſtum Ver-'bum Dei verum Deum eſſe concentu quo-'dam concelebrant? Cum igitur tot anno-'rum ſpatio doctrina Eccleſiaſtica verè an-'nunciata fuerit, quomodo fieri poteſt ut 'illi Patres qui ad Victorem uſque vitam 'produxerunt, ſic ut iſti aſſerunt prædica-'rint? Aut quomodò non illos pudet hæc 'Victori tam falsò objectare? Præſertim 'cum exploratè cognitum habeant Victo-'rem Theodorum illum coriarium, qui pri-'mus Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον ſolum ho-'minem docebat, ducem & quaſi, parentem 'hujus impiæ & ἀρνησιθέου ἀποστασίας, execran-'dæ Apoſtaſiæ, Chriſtum Deum pernegan-'tis, Chriſtianâ communione interdixiſſe? 'Quod ſi Victor eadem cum illis ſentire 'viſus fuiſſet, quo pacto aut quâ ratione 'adductus, Theodorum hujus erroris in-'ventorem ab Eccleſiâ ejicere animum in-'duxiſſet? Hæc Euſebius ipſe ex veteri authore, Caio ni fallor, cujus opus injuriâ temporum nobis intercidit.

Carmen Chriſto tanquam Deo canere. Plin. S. epiſt. ad Trajan. Imp.

Vid. Tertull. de præſcr. cap. 53. de Theodoro hæretico Theodoto.

Vid. Euſeb. Hiſt. lib. 1. cap. 1. & 2. de laudib. Conſtantini Demonſtr. Evangel. lib. 5. cap. 2. &c.

Finis Partis Primæ.

RESPONSIO

Brevis, ad ea quæ

CHRISTOPHORUS SANDIUS

IN

NUCLEO ſuo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ
ex Patribus Ante-Nicænis

IN

ARIANORUM

Gratiam oppoſuit.

Per SAMUELEM GARDINERUM,
SS. Theol. Profeſſorem & Regiæ
Majeſtati à Sacris.

LONDINI,

Impenſis *B. Tooke*, ad inſigne Navis in
Cœmeterio D. Pauli.

M. DC. LXXVII.

AD LECTOREM.

Lector benevole,

Poſtquam ſchedulas haſce in prelum præparaſſem, nuncium accepi novam Sandii editionem in publicum prodiiſſe; auctam adeo & correctam ut (ſi Philippo Patri Filii ſui Epiſt. ded. *Chriſtophori merces venditanti fides adhibenda fuerit) niſi antiquum ferret titulum, non immerito novum opus crederetur. Quum nactus eſſem, Primum Sandianæ Hiſtoriæ librum cupide perlegi. Quædam emendata & haud pauca inſerta reperi: Sed quoad ſummam cauſæ de qua inter nos agitur vix aliquid præſtitum invenio tali elogio dignum. Tantum nonnulla Arnobii loca addita ſunt, quibus reſponſionem adornavi,*

adornavi, aſperſis alicubi, ſed leviori brachio, ſtricturis. Haud igitur operæ pretium exiſtimavi refingendi reſcribendiq; Operis moleſtiam ſuſcipere, cum ea quæ antiquæ editioni repoſita ſunt, novæ, quod Patres Ante-Nicænos attinet, pleniſſime reſpondeant. Hæc tantum te ſcire volui, Lector amice.

Vale.

CATHOLICÆ

CATHOLICÆ
Circa
SS. TRINITATEM
Fidei
DELINEATIO.

PARS SECUNDA.

CAP. I.

INter cætera ſcripturientis hujuſce ſeculi monſtra, in lucem non ita pridem editus eſt Chriſtophori Sandii *Nucleus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.* Nucleus ſane; ſed Arianiſmi verme exeſus. Quo conſilio autor animum ad ſcribendum appulit, ipſe ſtatim à principio operis haud obſcure profitetur. ‘Probabimus (*inquit*) per ſingulos, Eccleſiæ Doctores uſque in quartum ſeculum, traditionibus ſcriptiſque Patrum, nihil contra Arianos (*quorum cauſam auſu nefario agendam ſuſcepit*) præſtari poſſe. Aliquid opinor parte ſuperiori præſtitimus. An hoc aliquid nihil ſit æquus Lector judicet. His Thra-

ſonicè

ſonicè ſatis addit, 'Arianos potius ſeculo 'quarto iis gloriari potuiſſe. Iis? Quibus, obſecro, Chriſtophore? num Patribus? num Nicænis 318, qui Arium tuum communibus ſuffragiis condemnârunt? num Athanaſio, Hilario, Lucifero Calaritano? num Baſilio, Nyſſeno, Nazianzeno, Cyrillo Hieroſolymitano, Ambroſio, Chryſoſtomo, Epiphanio? An potius fraudibus, calumniis, latrociniis, ſacrilegiis, cædibus, ipſam Gentilium perſecutionem crudelitatemque ſuperantibus, ſub quibus ingemuit orbis, præſertim Oriens, (Occidentis enim, ut Docti norunt, abſimilis multum ratio) & ſe Hæreticorum verſipellium, partim dolis, partim minis, circumſcriptum, factum eſſe in Concilio Ariminenſi Arianum; ipſe etiam admiratus eſt. His certè gloriari poſſunt Ariani, quæ in eorum ignominiam Patres ſupra memorati, necnon Hiſtorici Eccleſiaſtici, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, aliique literis conſignârunt; quibus fortaſſe unicum ſuum Philoſtorgium, Eunomii hæretici diſcipulum, (uti refert Nicephorus) præferet Sandius. Quantæ autem fidei authoritatiſve iſte Arianorum non tam hiſtoricus, quàm (ut habet Photius) Encomiaſtes ſit, ipſe nos omnium optimè alibi docuit Sandius hiſce verbis. 'Cæterum ex Arianis 'hiſtoricos non habemus niſi pauca, eaque 'incerta fragmenta, quæ nobis ex Philoſtor'gio Photius, ex Photio Gothofredus, re'licta voluerunt. Pauca verò eaque incerta fragmenta

In nupera & emendata ut dicitur, editione ait, Quin potius Arianos ſeculo IV. de unanimi Patrum conſenſu & traditione ſcripta gloriari potuiſſe. p. 67. Clamet. Melicerta periſſe frontem de rebus.

Vid. Athan. ad ſolit. vitam agent. Vincent. Lyrin. cap. 6. Hieron. cont. Luciferian.

Lib. 1. cap. 29. Bibliotheca.

Præfatio in lib. 2. Hiſt. Eccl.

fragmenta hiſtoricis omni laude cumulatiſſimis in Arianorum ſcilicet gratiam haud nobis, opinor, anteponenda ſunt. Quod ſi his ſteterit Sandius, causâ ſuâ, ut omnes Eccleſiaſticæ hiſtoriæ gnari intelligunt, certiſſimè cadet. Sed de quarto ſeculo alias diſquirendum. Impræſentiarum animus eſt primi, ſecundi & tertii ſeculi Patres, Arianiſmi ſtigmate inuſtos, quantum in nobis eſt (SS. Trinitate, Triuno Deo, ſuppetias largiente) ab importuni hominis, docti licet, calumniis vindicare.

Vid. Socratem lib. 2. & Theodoret. cum Sozomeno. Sulp. Sever. l. 2.

Incipit Sandius, ut promiſſum ſupra factum præſtet, à Clemente Romano. 'Hunc 'ait docuiſſe, Patrem eſſe inſtar Epiſcopi (quem ſuperius, Hieronymi verbis eam in rem ſuo more adductis Diaboli inſtinctu ortum habuiſſe aſſerit) 'Filium inſtar Dia-'coni, Spiritum S. comparatum Diaconiſſæ, 'ſubjeciſſe Filio tanquam Diacono, & Patri 'tanquam Epiſcopo, quem Spiritûs creato-'rem per Chriſtum vocant. Hæreticos inſuper docere affirmat, ' Jeſum ſui ipſius *(quod 'abſurdum & ridiculum eſt)* Patrem eſſe, & '*(quod inde belle admodum ſequitur)* eſſe 'Deum ſuper omnia.

Sandius Hiſt. Eccleſ. lib. 1. pag. 110. In noviſſima editione pudore ſuffuſus omiſit, non retractavit. Habes lib. de Script. Eccleſ. p. 5. vet. edit. quam cito paſſim.

Fateor hæc & alia ejuſdem farinæ in libris Conſtitutionum, ſub Clementis nomine editis, reperiri. Sed quid nobis, obſecro cum Sancti Clementis umbrâ, aut interpolatore? necnon Ignatii; prout abundè ſatis nobis probatum dedit illuſtriſſimus Uſſerius Armachanus. Conſtitutiones haſce verè Clementis

Lib. conſtit. 2. cap. 26. lib. 3. cap. 17. lib. 6. c. 11. & 25.

In proleg. in Ignatium.

mentis eſſe (ut ſupra nos monuit) putat Sandius, quem ſe inter divinos & Apoſtolicos Scriptores facilè admodum admiſſurum (Canone Apoſtolorum fictitio deceptus) profitetur. Sed aliter ſentiunt non modò Perkinſius, Scultetus, Cocus, Grotius, ſed etiam Albaſpineus, Halloixius, Petavius, Bellarminus, argumentis ex ipſis Conſtitutionum libris petitis, quibus cum Sandius reſponſum dederit, ea, quæ ſupra tanquam Clementina adduxit, in examen revocabimus. Interim Euſebii, necnon Hieronymi, aliorumque authoritate freti, unicam ad Corinthios epiſtolam, antiquorum conſenſu approbatam, tanquam genuinam Clementis ſobolem ſolam amplectimur: in quâ qui Arianiſmum invenerit, næ ille mihi pluſquam Lynceus eſt.

De Script. Ecclef. pag. 34.
Vid. Synod. 6. in Trullo. can. 2.
Bellarm. de Scrip. Eccleſ. & Cocum Cenſ. P. Euſeb. Hiſt. lib. 3. cap. 32. 37. 38. Hieron. de Script. Eccl. in Clem.

Non ſum neſcius Photium, à Sandio laudatum de Clemente ejuſque epiſtolâ ad Corinthios agentem, hæc habere. Αἰτιάσαιτο δ' ἂν τις --ὅτι ἀρχιερέα καὶ προςάτην τ̃ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριςὸν ἐξονομάζων, οὐδὲ τὰς θεοπρεπεῖς καὶ ὑψηλοτέρας ἀφῆκε περὶ αὐτοῦ φωνάς· οὐ μὲν οὐδ' ἀπαρακαλύπτως αὐτὸν οὐδαμῆ ἐν τούτοις βλασφημεῖ. Quæ doctiſſimi viri veniâ dictum ſit, Hypercritica ſunt. Sanè qui cum Clemente Chriſtum noſtrum ſummum Sacerdotem & magiſtrum agnoſcit, quibus, obſecro, ridiculis, eam tantùm ob cauſam, in Arianæ blaſphemiæ conſortium attrahamus? Qui hæc Chriſto Domino noſtro adſcribit, majora certè & diviniora, quæcunque demum fuerint, neutiquam denegat. Argumentum

Biblioth. num. 126.
Vid. pag. 47. & 75. Edit. Junii.

mentum negativum in ſcriptis humanis, nullius (ut apud omnes conſtat) authoritatis eſt.

Sed forſitan Epiſtolam ad Corinthios ſecundam indigitat Sandius. Scribit enim *Photium Clementem ex Epiſtolis ejus ad Corinthios Arianiſmi arguere.* Quod mirum ſanè meritò cuiquam videatur, cum Photius Euſebii & Hieronymi ſententiam ſecutus, de ſecunda Clementis ad Corinthios Epiſtolâ, diſertè ſcripſerit ‘ὡς νόθος ‘ἀποδοκιμάζεται, tanquam ſpuria rejicitur. Non igitur culpa, ſi qua fuerit, in S. Clementem, ſed in falſarium refundenda eſt; cum Chriſtum ἐναρχῆ Θεὸν, Deum initium habentem, deprædicet. Quamquam Chriſtum in eadem perſonâ Deum & hominem, ut hominem ex Virgine Mariâ initium habuiſſe, extra omnem controverſiæ aleam pium eſt, &, Neſtorio Deum bimeſtrem nequicquam blaſphemante, Catholicum.

Hiſt. lib. 3. c. 32. In Catal. Supra.
Uſſer. prolegom. in Ignat. cap. 12. & 15.
Apud Socratem Hiſt. Ecc. lib. 7. cap. 33.

Niſi cum Euſebio, Hieronymo, Athanaſio, Gelaſio aliiſque viris doctiſſimis pro comperto haberem Conſtitutionum libros, Clementis nomine inſignitos, eſſe ſuppoſititios, (quod & ipſi legentibus abundè teſtentur) vel ſaltem, ut Epiphanius & Ruffinus, necnon Patres Trullani conqueſti ſunt, ab Hæreticis interpolatos & corruptos; haud difficile eſſet etiam ex ipſis nonnulla colligere Catholicæ doctrinæ (Apoſtolicæ Eccleſiæ, pace Sandii dictum ſit, optimè notæ) ſuffragantia & conſona. Illa nimirum

Epiphan. Hær. 70.
Can. 2.
Vid. Sandium de Script. Ecc. pag. 2. de Apocryphis ab Eccleſia olim damnatis.

Confer Euſ. Hiſt. lib. 3. c. 37. Conſtit. lib. 8. cap. 18.

mirum lib. 3. Conſtit. cap. 17, ubi poſtquam mentionem feciſſet Patris ὡς αἰτίε ut cauſæ ſeu principii Filii (quod libentiſſimè ſuſcipimus) & ἀποστολέως, emiſſoris Spiritûs S. ſubjungit, 'Pater Deus eſt ſuper omnia, Chriſtus unigenitus Deus & gloriæ Dominus, 'Spiritus S. Paracletus eſt à Chriſto miſſus. '*Necnon illa.* Tibi (ſcil. *Deo Patri*) omnis 'gloria & honor & adoratio, Filio & Spiritui S. & nunc & ſemper in omnia ſecula ſeculorum. Hæc de Clemente Romano.

CAP. II.
IGNATIUS.

Ad ann. 109. §. 20.

Sand. p. 35. de Scriptor. Eccl.

A Clemente ad Ignatinm tranſit Sandius; *cujus Epiſtolas* (inquit) *fatetur Baronius* (Traditionarius & Pontificius, ut Sandio ejus hac in parte Symmyſtæ & ὁμοψήφῳ notum ſatis) '*ad noſtram uſque ætatem incorruptas* '*atq; integras ſervatas eſſe.* Quanquam doctiores Critici, penè univerſi, aliter jam ſentiant, tum Reformati, tum etiam Romanenſes.

Lib. 1. p. 119.

His epiſtolis, ſi Sandio fidem adhibeamus, docuit Ignatius *Hæreticos dicere idem eſſe Patrem, Filium & Spiritum S.* ſubdole inſinuans Hæreſin ſapere Trinitatis Conſubſtantialis confeſſionem. Haud parvo nos labore levaſſet Sandius, ſi ſanctiſſimis doctiſſimiſque Patribus nefandæ hæreſeos crimen impingens, eorum concepta verba, locis, ut par erat, diſtinctè deſignatis, protuliſſet.

Quo

Quo minimè præſtito (quam ob cauſam judicium penes alios ſit) neceſſe eſt ut ſæpius Andabatarum more pugnemus, in tenebris adverſarium quæſituri. In epiſtolâ ad Trallianos (quem locum opinor ob oculos habuit Sandius) hæc inter interpolata (quod notandum eſt) habemus, *Hæretici* ἀλλοτριοῦσι *alienant à Patre Chriſtum.* Quid aliud, obſecro Chriſtiane Lector, agunt Ariani, qui Chriſtum *creaturam ex nihilo factam eſſe* aſſerunt ? Nonne, vel ut qui maximè, Chriſtum à Patre ſuo alienant, ἀλλοτριοῦσι, Deum, factum & (Chriſtianis) inincognitum introducentes ? *Quidam vero Hæreticorum* (inquit Ignatius) *Filium non* (natura) *Deum, ſed purum hominem profitentur. Alii autem* (Gnoſticos notat perſonas confundentes) ταυτὸν *ipſum* (ut reddit vetus Latina verſio) *dicunt eſſe Patrem, Filium & Spiritum S.* Sandius, ut S. Ignatio facilius calumniam ſtrueret, ταυτὸν idem neutro genere transfert; cùm ταυτὸν necnon ipſum, maſculino genere rectiſſimè veriſſimeque reddatur. Quod ad rem ipſam attinet, Scriptor ille quiſquis eſt, eos hæreticos clarè ſatis exagitat, qui Patrem & Filium & Spiritum S. non idem (ut perfidè reddere vult Sandius) ſed ipſum & eundem (h. e. eandem perſonam ſeu ὑπόστασιν) eſſe ſacrilegè abſurdiſſimeque docuerunt. Quomodo enim Pater eſſe poterit ſui Filius & viciſſim Filius Pater ? ut optimè Sabellianos revincit S. Epiphanius.

In noviſſima editione Juſtini M. tractatus Clem. A. libros Stromatum citat, nuſquam paginas.

Pag. 69. ad Trall.

Cerinthianos, opinor notat & Ebionitas.

Diſput. contra introducentes ἕνα τριώνυμον Vid. ad Philippen. p. 173. ἐν ἀμφῶ Clem. A. ſupra. Vid. Tertull. cont. Prax. cap. 22.

Animadvertas autem (Chriſtiane Lector) hæc quæ à Sandio allegantur verba quomodocunque accipias, nequaquam à S. Ignatio (quod neutiquam aſſerit Uſſerius, ut Sandius calumniatur) ſed à falſario & interpolatore neſcio quo ſcripta eſſe, & clariſſimi Martyris epiſtolis affictа vel aſſuta. Quam in rem notandum eſt (ut ex unâ (quod aiunt) fideliâ, omnia penè à Sandio tanquam ex Ignatio allata, obducam) primævam antiquitatem Ignatii ſeculo proximam ſeptem tantum epiſtolas, nec plures, eidem adſcripſiſſe; ſcil. ad Epheſios unam, ſimiliter ad Magneſianos, Trallianos, Romanos, Philadelphenos, Smyrnæos & ad Polycarpum; uti eodem ordine enumerat S. Hieronymus. Nec aliæ Euſebio, Athanaſio, Theodoreto aut Gelaſio cognitæ fuere; quod validiſſimo ſanè argumento apud omnes cordatos eſt, plures ab Ignatio minimè conſcriptas fuiſſe. His circa ſextum ſeculum (ut nonnullis videtur) quinq; aliæ epiſtolæ ab eodem artifice (ut magno Uſſerio placet) qui veteres 50 Canones Apoſtolicos numero auxit, & Conſtitutionum libros, Clementis nomen præ ſe ferentes, interpolavit, additæ fuere; genuinis inſuper Ignatii Epiſtolis ſupra memoratis plurimum ab eodem conſpurcatis & fœdè vitiatis. Hiſce præſtigiis & Sanctorum (ut quidam etiam Traditionariorum, nominatim Petavius, Meſtræus & Bellarminus ipſe, aliquâ ex parte fatentur) larvis uſus Arianam hæreſin, inferis relegatam, Chriſtiano

Vid. cap. 12. & 15.

Vid. Vindicias Ignatii Doctiſſ. Pearſoni cont. Dallæum.

Uſſerius prolegom. in Ign. cap. 6. & 10.

Quem in finem tractatum de Eccleſiæ

Chriſtiano orbi reponit & commendat Sandius. Sed quali judicio ipſe viderit; qui veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum Cenſor videri vult haud inter multos acutiſſimus. Ignatii ſine diſcrimine epiſtolas ad noſtram uſque ætatem incorruptas & integras ſervatas eſſe cum Baronio cenſuiſſe Sandium res ipſa loquitur.

Script. operi ſuo præfixit, ut Canon. Apoſtol. Clem. Conſtitut. Hermæ, Pſeudo-Ignatio & fidem authoritatemque conciliaret. Conſule Cotelerium, de ſcriptis Patrum Apoſtolicorum.

Nec eſt quòd miremur defæcatum minus hâc in cauſâ viri alias doctiſſimi judicium. Ab interpolatore enim Ignatiano mutuatus eſt illa Arianæ hypotheſi ſplendidè inſervientia; *Filium eſſe* οὐσίαν γεννητὴν, *eſſentiam genitam*, ab Uſſerio minio notata; cum non eſſentia Filii, (quæ ipſiſſima Patris eſt, & eadem utrique communis, undè Chriſtus αὐτόθεος veriſſimè audit) ſed perſona genita ſit; necnon ‘Hæreticum eſſe Patrem, Filium & Spiritum S. idem (*ſubſtantia* ſcil.) confiteri. Patrem eſſe inſtar Epiſcopi, Filium Presbyteri, Spiritum S. Diaconi. Ex Epiſtolis autem Ignatio falsò adſcriptis deſumpſit octo illa egregia argumenta ab eodem memorata quibus in Chriſtum ſtrenuè adeò θεομαχεῖ. Nimirùm primo, ‘Quòd Pater Jeſu Chriſti eſt ſolus verus Deus, quia dicit, *Aſcendo ad Patrem meum & ad Deum meum.* 2. Quia Apoſtolus ait; *Quandò ſubjicientur ei omnia, ut Deus ſit omnia in omnibus.* 3. Quia Chriſtus miſſus ſit à Deo. 4. Quia Dominum habeat Patrem. 5. Quia ſententiæ Dei ſubjectus ei obedierit. 6. Quia leges Dei Patris impleverit.

Pag. 56. ad Magneſ.

Cor. 15.

‘7. Quia cruci affixus ſit. 8. Quia Chriſtus ‘ipſe dicat ſe non eſſe æqualem Deo, ſed ‘confiteri ſuperioritatem & ſupereminen-‘tiam Patris; ſe non recuſare adorare eum, ‘vel ſervire ei quem ſciat generationis ſuæ ‘cauſam & autorem eſſe atque ſuæ perſe-‘verantiæ cuſtodem. Quæ penè omnia uno intuitu, congeſta habes in Epiſtolâ ad Tarſenſes pſeudo-Ignatianâ. Dignum ſanè patellâ operculum. Impoſtor impoſturæ patrocinatur.

Ad Philippenſ. p. 185.

Ad Tarſenſ. Pag. 146.

Sed quid ſi cum Sandio paulò liberalius agerem, & Epiſtolas iſtas ſuperaddititias, tanquam verè Ignatianas agnoſcerem? Ecquid erit pretii? Minimè gentium. Scribit Sandius, ut ſupra vidimus, Ignatium docuiſſe, *Hæreticum eſſe dicere Chriſtum eſſe Deum ſuper omnia* (quamvis id ipſum à Paulo diſertè ſcriptum ſit) in animo habens, ut conjector, Epiſtolam ad Tarſenſes. Videamus quàm ſtrenuè Arianorum cauſam agit (jam noſter) Ignatius. Hæreticos quoſdam perſtringens hæc habet. Καὶ ὅτι ἐκ αὐτὸς (ſcil. Chriſtus) ἐςὶν ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς κ̀ Πα-‘τὴρ, ἀλλ᾽ ὑὸς ἐκείνȣ, λέγει, &c. Et quia non ‘eſt ipſe ille qui eſt ſuper omnia Deus & ‘Pater, ſed Filius ipſius, dicit, *Aſcendo ad* ‘*Patrem meum & veſtrum, ad Deum meum & ‘veſtrum.* Quibus adjungit illa Apoſtoli, ‘*Quando ei fuerint omnia ſubjecta, tunc & ipſe ‘Filius ſubjectus erit*, &c. Afferit Scriptor ‘ille, quiſquis fuerit, Chriſtum non eſſe ‘Deum Patrem ſuper omnia, ſed Filium ‘ipſius

Rom. 9. 5. Pag. 146. edit. Uſſer.

Joan. 20. 17.

1 Cor. 15.

'ipſius. Quid hoc ad Iphicli boves? Quis niſi de Praxeæ & Sabellii grege Patropaſſianus in diverſum iret? Hîc loci Sandio nec ſeritur nec metitur. Intende iterum oculos animumque (Chriſtiane Lector) & videſis quidnam ex duobus iſtis Scripturæ locis, jamjam memoratis & à Sandio laudatis, collegerit Ignatius. *Chriſtum non eſſe unum verum cum Patre Deum ſuper omnia?* Nequaquam. Quid igitur? *Ergo* (inquit) *alius eſt ille qui ſubjecit Filio omnia, & alius Filius cui ſubjecta ſunt omnia.* Quod cum indubitatæ apud nos veritatis ſit, Sandio facilè concedimus. Egregiam verò laudem, &c. Fruatur Ignatio ſuo. ἑτερός ὅτι. Pag. 147.

Similiter in eundem ſenſum ſcribit ad Philippenſes Sandio-Ignatius, Hæreticum vel Diabolum potius hiſce verbis compellans. 'Quomodò non tibi videtur eſſe Chriſtus ex Virgine, ſed ille qui eſt ſuper omnia Deus omnipotens (h. e. *Pater.*) *Statim enim ſubdit.* Quis ergo eſt qui hunc miſit? 'Quiſve huic dominatur? Cujus ſententiæ 'ſubjectus fuit, aut cujus legem adimplevit? Rectiſſimè hæc omnia quæ à Sandio ſupra adducuntur. Si enim Filius incarnatus ſit ipſe Pater, quis hunc miſit? num ipſe ſeipſum? Pag. 178. vide Græca.

Pergit Ignatiaſter. 'Tu qui Chriſtum 'ſeparas à Generatione, & ingenitum genitum fuiſſe, & cruci affixum dicis illum 'qui eſt ſine principio, &c. Patri-paſſianorum, ut quivis etiam ſine monitore pervi- Pag. 178. in Græcis, vid. Tertull. adv. Prax.

 deat,

deat, hæreſin impugnans, non autem Chriſti Domini noſtri Deitatem. Poſt nonnulla, Dei Filium introducit Diabolum tentatorem in hunc modum compellantem, '*Ego* '*ſcio à quo ſum miſſus, & quem debeo adorare.* '*Scio unum ſolum, cui non denego ſervire à* '*quo tu Apoſtata factus es. Non ſum ἀντίθεος* '(h.e. contrarius Deo,) *ſed confiteor eminen*'*tiam*; cum cæteris à Sandio ſupra memoratis. Quibus omnibus brevi reſpondeo, Hæc à Chriſto jam incarnato, & à Diabolo in deſerto tentato, dicta eſſe, & intelligi debere, uti ex toto orationis contextu planiſſimè conſtat. 'Scio à quo ſum miſſus; '(ſcil. *in mundum, in carnem.*) Novi unum 'ſolum Deum, cui (*jam homo factus*) non 'denego ſervire. Confiteor eminentiam, 'ὑπεροχὴν; nimirum divinæ naturæ Patris 'ſupra humanam. Quis negat? 'Novi nati'vitatis meæ authorem & Dominum; qui 'ſc. ex Virgine formatus ſum virtute altiſſi'mi, quem ſupplex adoro. Næ tu Chriſtophore, qui Chriſtum Deum non ferre ſed tollere laboras, fruſtra es, ſi putes hæc ficulnea tela, pudet dicere, contra Deum tui judicem, ſed vel apud homines pios & doctos, quicquam præſtare poſſe. Nec ignoro alios cum Hilario, Baſilio, Nazianzeno, necnon Auguſtino concedere etiam juxta divinam naturam ſeu nativitatem Patrem eminentiorem eſſe Filio, 'Non ſubſtantiâ aut 'temporis prioritate ſed ſolâ ratione prin'cipii, & hactenus majorem ſeu ſuperiorem eſſe

Pag. 185.

Lib. 9. de Trinitat.
Hom. 1. in Eunom.
Orat. 4. de Theolog.
De Trinit. lib. 2. cap. 7.

eſſe Filio, quòd fons ſit & origo omnis Divinitatis, vel, ut rotundè veriſſimeque Bellarminus, 'Patrem ſolum eſſe Deum ſuper 'omnia, propter principii authoritatem, non propter naturæ diverſitatem. Quæ reſponſio alibi opportunius occurret, eâ certè impræſentiarum nobis opus non eſt, cum Ignatii verba minimè divinam, ſed humanam, Chriſti jam in terris agentis & cum Diabolo concertantis, nativitatem, clariſſimè reſpiciant. De Chriſto lib. 1. cap. 10.

Perpendat interim Sandius quid in eadem Epiſtolâ ſcripſit Ignatius ſuus; Diabolum alloquens. 'Parva tibi videntur cunabula, 'paſſiones, circumciſio, &c. Indigna tibi hæc 'Deo videntur. Iterumne vidiſti hominem 'quadraginta diebus & noctibus jejunan-'tem & Angelos ei miniſtrantes, quos & tu 'timebas? Poſt jejunium--tentabas quaſi 'communem hominem. Ignorans quis eſſet; 'dicebas enim, *Si Filius Dei es*; nam ſi 'verè cognoſceres, ſcires ſine dubio, quia quæ 'videntur impoſſibilia ad faciendum, & 'difficilia ad convertendum (ſcil. *ſaxa in* '*panem*) factori omnium poſſibilia ſunt. Et 'propter ventrem tentas eum qui paſcit o-'mnes eſcâ indigentes, & audes tentare 'Dominum gloriæ? Ubi Ignatius iſte diſertè agnoſcit Chriſtum non eſſe communem hominem, ſed Deum immò factorem omnium, omnes paſcentem, & Dominum gloriæ. Et poſt pauca. 'Quomodo ten-'tas intentabilem? Immemor Legiſlatoris '(ſcil. *Moſis*) qui dixit, *Non tentabis Domi-*

Ad Philipp. pag. 181.

Mat. 4.

Chriſtus factor omnium omnes paſcens.

δημιουργόν.

Ib. pag. 183. In eo homine non tentare Dominum Deum ſuum. Irenæus lib. 5. pag. 476. edit. Eraſmi.

'*num Deum tuum.* Quem autem, obſecro, *Dominum Deum tuum?* Sandium appello. Nonne unum verum Deum ſuper omnia, Deum Iſraelis? Chriſtus igitur unus verus Deus eſt ſuper omnia, uti Moſes, Paulus, Ignatius, cum Irenæo, Clemente Alex. Tertulliano, aliiſque, non Satanæ (ut calumniatur Sandius) miniſtris & hæreticis, ſed Chriſti ſervis, & Catholicis Patribus, ut ſupra vidimus, docuerunt. Utinam Sandius vel Ignatio ſuo fidem adhiberet ſuam.

Confer ad Heronem p. 165.

Sed inter alia ingerit Sandius Ignatium ſcripſiſſe. 'Patrem & Filium & Spiritum S. non 'eſſe unum trinomium, neque tres increatos 'neq; tres unius ejuſdemq; honoris. Sed hæc nequaquam Ignatii ſententia, ſed pura puta Sandii calumnia eſt, vel perverſitas, Latina Græcis præferentis, cum Ignatius Græcus Græcè alia, immo contraria, ſcripſerit. Ita enim ſe habent. 'Διὸ καὶ Κύριος,--ἐνετείλατο βαπτίζειν-- 'οὐκ εἰς ἕνα τριώνυμον, οὔτε εἰς τρεῖς ἐνανθρωπήσαν'τες, ἀλλ' εἰς τρεῖς ὁμοτίμους. Quapropter & 'Dominus præcepit (*Apoſtolis*) baptizare '--non in unum trinomium, neque in tres 'incarnatos, (*Sandius legit tres increatos, creatam Trinitatem ſomnians*) 'ſed in tres ejuſ'dem honoris. Patrem autem, Filium & Spiritum S. non eſſe tres increatos nuſquam ſcripſit Ignatius. Ignatium inſuper docuiſſe refert Sandius, 'Unum eſſe Patrem, Filium '& Spiritum S. per unanimitatem & con'cordiam, per ſubjectionem voluntariam & 'obedientiam. Benè habet. Sed vel unum

Ad Philippen. pag. 173.

cx

ex Ignatio locum proferat Sandius, ubi docet Patrem & Filium per ſolam concordiam & unanimitatem, &c. unum eſſe. Hoc ſi præſtiterit erit mihi magnus Apollo.

Ultimò, docet nos Sandius Ignatium 'comparaſſe Patrem Epiſcopo, Filium Presbytero, Spiritum S. Diaconis & conſervis 'ſuis.

Ignatium Patrem ullibi diſertè comparaſſe Epiſcopo, Filium Presbytero, &c. legiſſe me haud memini. Eum ſæpiſſimè Presbyteros hortatum eſſe ut Epiſcopo ſuo ſubjecti ſint & obedientiam præſtent, ſicut Chriſtus Patri, veriſſimum eſt. Præſertim in Epiſtolâ ad Philadelphenſes, quos in hunc modum affatur. 'Unus eſt Epiſcopus, Pag. 96. 'ſimul cum omni Presbyterio, & Diaconis 'conſervis meis. *Quibus ſubdit*; quia & unus 'eſt ingenitus Dei Pater, & unus unigeni'tus Filius, Deus Verbum & homo, & unus 'Paracletus Spiritus veritatis. Ubi SS. Trinitatis perſonas luculenter admodum agnoſcit, & Chriſtum unigenitum Dei Filium, Deum eſſe confitetur ſimul & hominem cum Patre & Spiritu S. Hinc Patris & Filii & Spiritûs S. ratione eſſentiæ divinæ inæqualitatem colligit Sandius. Sed imperitè nimis? nè dicam impiè; cum eo loci Ignatius neutiquam comparat Filium Presbytero aut Spiritum Diacono, ſed potius Eccleſiaſticam Hierarchiam alluſione quadam à Trinitate ſumptâ illuſtret, in quâ Adv. Prax. perſonarum ordinem, & cum Tertulliano

οἰκονομίαν

οἰκονομίαν quandam agnoſcimus; non itidem quoad eſſentiam, inæqualitatem aut inferioritatem. Notum Sandio tritum illud, 'Theologiam Symbolicam, ſeu Parabolicam, non eſſe argumentativam. Ex iiſdem Ignatii verbis (quantum video) pari ratione inferre potuiſſet Sandius, plures eſſe Filios Deos unigenitos & Paracletos; cùm S. Martyr de Presbyterio & conſervis ſuis Diaconis numero plurali verba faciat. Sed de his ſatis, fortaſſe plus ſatis, cum verba illa à Sandio allata in præſtantiſſimo & laudatiſſimo Ignatii exemplari Medicæo nuſquam (ni malè memini) occurrant, ſed ab interpolatore ex libris Conſtitutionum pſeudo-Clementinis traducta & Ignatii Epiſtolis aſſuta, merito videantur.

Vid. Irenæum lib. 2. cap. 10. in eos qui dogmata ex Parabolis expiſcantur.

Vid. Uſſer. in Ignat. prolegom. cap. 10. 11.

Genuinus Ignatius ſeipſum Catholicè interpretatur, 'Subjecti eſtote Epiſcopo, ut 'Chriſtus Patri κατὰ σάρκα ſecundum carnem.

Ad Magneſian. pag. 11. Cod. Medicæi.

CAP. III.

JUSTINUS M.

AB Ignatio ad Juſtinum Martyrem progreditur Sandius. 'Hunc (*ait*) 'ſcripſiſſe quoſdam Atheos & impios blaſ'phemare Parentem univerſorum, docentes 'Chriſtum eſſe Deum Abrahami, Iſaaci & 'Jacobi, cum quibus ſibi nihil eſt (*inquit*) 'communionis.

Dialogi cum Tryph. pag. 196. edit. Commelin.

Sand. lib. 1. pag. 130.

Luce

Luce meridianâ clarius eſt, ut ſupra vidimus, Juſtinum in Dialogo cum Tryphone Judæo Trinitatis blaſphematore, quam fieri poteſt diſertiſſime docuiſſe, præter Parentem univerſorum & opificem omnium, alium eſſe numero, qui eſt, & à Spiritu S. in Scripturis dicitur, Deus & Dominus, Dominus fortis, & Dominus gloriæ; ſcil. Patris Verbum & Filius unigenitus Chriſtus. Quid mirum igitur ſi in hæreticos eos invehatur qui Parentem univerſorum Chriſtum, h. e. Filium, Patrem eſſe impiè docuerunt; cum id pluribus ſtudioſiſſimè agat, ut Tryphoni perſuaſum det, illum, (nimirum Chriſtum) qui Abrahæ, Jacobo & Patriarchis olim apparuit, Deuſque à Spiritu S. dictus eſt, alium ab eo (ſcil. Patre) qui cuncta creavit, & verè Deum fuiſſe; nonne vel hinc diſcere potuit Sandius, ſi mens non læva fuiſſet, cùm Juſtinus unum ſolum verum Deum ubique profiteatur, Patrem univerſorum & Chriſtum ejus unigenitum Filium, diverſos licet (perſonâ ſc. non ſubſtantiâ) unum eundemque Deum eſſe? Quæret fortaſſe aliquis, num igitur Chriſtus, ſecundum Juſtini mentem, Deus Abrahami fuerit? Reſpondeo, maximè. Eum ſanè qui Jacobo apud Bethel apparuit Juſtinus multis ex profeſſo probat, non Patrem, ſed alium (ſcilicet Chriſtum) ejus Filium fuiſſe. Hic autem, Scripturâ apertiſſimè teſtante, erat Deus Abrahæ. *Ego*, inquit, *ſum Deus Abrahæ*, &c. Nullo igitur modo diffitendum

Pag. 209. 112. 213. 214. & 215. Supra.

Uſſer. diſſert. in Ignat. cap. 12. pag. 87. Vid. Auguſt. de Hæreſ. Simonian.

Paræn. pag. 15. de Monar. Dei, Dialog. pag. 175. &c.

Deus erat Abrahæ. Dialog. pag. 220. & 279.

Gen. 28. 13. 35. 1.

dum eſt Chriſtum eſſe Deum Abrahami.
Pſal. 47. 9. Dial. pag. 197. Quid quod alibi verba illa Davidis, *Principes congregati ſunt Deo Abrahæ*, Juſtinus de Chriſto Domino noſtro interpretetur? Quid igitur? Num S. Martyrem cum hæreticis, Atheis & blaſphemis ſenſiſſe, aut ſibi contradixiſſe, credamus? Abſit. Ut igitur quod ipſa res eſt dicam. Sandius, cui ſolenne eſt Latina Græcis originalibus, quoties cauſæ ſuæ ſubſerviant, præferre, hic meritas pœnas luit. Ipſe enim Latinâ verſione perperam factâ vel deceptus eſt, vel ſaltem alios decipere tentavit. Græca enim ita ſe habent. Ἄλλοι καθ' ἄλλον τρόπον βλασφημεῖν τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, καὶ τὸν ὑπ' αὐτοῦ προφητευόμενον ἐλεύσεσθαι Χριστὸν, καὶ τὸν Θεὸν Ἀβραὰμ, Ἰσαὰκ διδάσκουσι, &c. Quæ ſic reddenda ſunt. 'Alii 'alio modo blaſphemare docent Factorem o'mnium, & qui venturus à Prophetis prædi'ctus eſt Chriſtum & Deum, Abraam, 'Iſaac, &c. In fimum igitur abiit vaniloqua hæc Sandii in S. Martyrem calumnia. Quantum enim abeſt ut Juſtinus Chriſtum Deum eſſe Abraam hæreticum duxerit aut blaſphemum, cùm id ipſum diſertis verbis aſſeveraverit?

Chriſtus erat Deus Moſis p. 198. imo omnium. Ibid.

Pag. 196. Dialog. edit. Commel. Pariſien. p. 253.

Videſis Irenæum lib. 4. cap. 11. Habes ſupra.

Pergit Arianorum advocatus, aſſeritque Juſtinum docere, 'Chriſtum non eſſe Deum 'conditorem mundi, ſed eum miniſtraſſe & 'inſerviſſe Patri in rebus creandis. *Hinc* '*Crypticè infert*, Chriſtum non eſſe verè 'Deum & Patri coæqualem.

Agnoſco hæc, vel his ſimilia, apud Juſtinum

num alioſq; Patres, paſſim occurrere, ‘Chriſtum Patris voluntati, præſertim in mundi creatione, miniſtraſſe. Sed addo, non ut ſervum propriè ſic dictum, ſed ut Conſiliarium, aut Socium, ut Patris Verbum & ſapientiam, potentiam ejuſdem naturæ & potentiæ conſortem, licet à Patre tanquam à principio originem trahentem. Quam ob cauſam ſcil. principii autoritatem, ſeu, uti ſupra Ignatius, ὑπεροχὴν & excellentiam, Patri, mundi creationem autonomaſticè & ἰδιοτρόπως adſcribere ſolemus; uti Filio redemptionem; non excluſo interim vel abnegato cui inſerviit Patre. Hinc illa Symboli Apoſtolici: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.* Quanquam S. Scriptura (Patribus etiam unanimiter conſentientibus) exertè doceat, Filium eſſe omnipotentem & omnia ſuâ virtute creaſſe. *Per eum* (inquit Joannes) *omnia facta ſunt.* Alibi eidem, *Chriſtus, α & ω principium & finis eſt, & Dominus omnipotens.* Similiter Paulus. *Et tu Domine* (Chriſto Davidis verba de Deo Patre prolata applicans) *in initio fundaſti terram,* &c. Quo in loco Apoſtolum habemus Chriſtum cum Angelis conferentem, docentemque hoc inter eos intereſſe quod Angeli Miniſtri ſint. (*Nonne omnes Spiritus adminiſtratorii ſunt?*) Chriſtus minimè Miniſter, ſed Deus & Dominus idque Angelorum. Filio autem dicit, *Thronus tuus, ô Deus, in ſecula,* &c. Et *Adorent eum omnes Angeli.* Juſtinus noſter Apoſtolica premens veſtigia

Dial. p. 279. 280.

Clem. A. Str. 6. pag. 7[illegible]3. Lactant. lib. 4. cap. 6. Euſeb. demonſtrat. Evang. l. 5. cap. 2. Juſt. M. in Dial. paſſim. Athenag. Tatian. &c.

Juſtin. M. ad Diognet. Iren. lib. 2. c. 2. & lib. 5. cap. 15. Clem. A. Pædag. lib. 3. c. 6. Tertull. cont. Prax. c. 11.

Heb. 1. 10.

Verſ. 8. 6.

gia ex hiſce locis Chriſtum comprobat Deum eſſe, ab omnibus etiam Angelis adorandum; quod ſimplici Dei voluntatis aut poteſtatis inſtrumento vel miniſtro minimè competit. *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies. Vide, ne feceris*, ait Angelus, *Ego conſervus tuus ſum, Deum adora.*

Matth. 4. Apoc. 22. 9. Chriſtum Cyprian. ſupra. Juſt. M. Paræn. p. 23. Irenæ. lib. 4. c. 37. & lib. 5. cap. 15. Orig. Hom. 1. in Geneſ. Tert. de reſur. carnis c. 5. & 6.

His adjicere libet S. Patres communiter docere Chriſtum in mundi, præſertim hominis, creatione, necnon Patriarchis apparitione, humanam carnem, licet (ut habet Tertullianus) non natam aut ſibi hypoſtatice unitam, aſſumpſiſſe; idque in præludium magnæ & magnificæ illius Incarnationis poſtea ſecuturæ. Cum igitur Chriſtum Deo Patri miniſtraſſe aſſerant & inſerviſſe, non divinam Verbi naturam, (nihil enim ſerviens, ut ſuprà nos docuit Gregorius Thaumaturgus, in Trinitate) ſed aſſumptam illam ad tempus humanam carnem & œconomiam reſpexerunt; in quâ Dei Patris voluntatem adminiſtraſſe, idem illis eſt ac inſerviſſe; ſalvâ ſemper divinæ naturæ majeſtate ac æqualitate. Sed in hanc rem plura inferius. Juſtinum inſuper docuiſſe ait Sandius, 'Deum Patrem ingenitum nullo modo 'poſſe relinquere omnia ſupra cœlum & in 'parvâ terræ parte cuiquam apparere, nec 'deſcendere vel aſcendere unquam poſſe, 'nec aliquem alloqui, aut viſibilem fieri: 'Quæ omnia Filio tanquam diverſæ & inferioris naturæ à S. Scriptura attributa legi'mus. Hæc ille.

Hæc vel hujuſmodi Juſtinum ſcripſiſſe ſuprà notatum eſt. Quo autem ſenſu & conſilio ſcripſerit vel tuam fidem auſim appellare Chriſtophore. Num ut exindè tecum probaret Filium non eſſe immenſum & Patri conſubſtantialem, ſed creaturam in tempore, vel (quod in idem recidit) ante tempus, ex nihilo factam? Cave dixeris: Cùm Juſtinus (ut cuivis loca diligentius inſpicienti manifeſtum erat) nihil aliud ex his elicere contendat, quàm Chriſtum alium (perſonâ nimirùm,non naturâ)eſſe ab univerſorum Parente diſtinctum; qui Deus Virtutum, & Dominus gloriæ à Scripturâ appellatur; quæ Arianorum cauſæ minimè patrocinantur. Veriſſimum eſt Juſtinum cum Tertulliano in eâ fuiſſe ſententiâ (quanquàm alii Patres aliter ſenſerint) Deum Patrem nunquam in humani corporis effigie in terris viſibilem apparuiſſe, ſed Filium tantùm. Ipſam autem divinam & infinitam Patris naturam (Filio communem) non aſcendiſſe aut deſcendiſſe, neminem alloqui, aut in minimâ terræ parte apparere poſſe, nimirùm ſolitariè, & (ut loquuntur) per ſe; apud omnes qui Dei immenſam, ſpiritualem, inviſibilemque naturam agnoſcunt in confeſſo eſt. Quo igitur candore S. Juſtino calumniam ſtruit Sandius, quaſi Chriſto Filio Dei (ut ſcribit) unico & proprio, immo, Deo & Domino gloriæ, ab omnibus, etiam Angelis ipſis, adorando, non niſi viſibilem, corpoream, & loco circumſcriptam, inſtar

In dialog. pag 220. 279. 280.

Clem. R. ad Corinth. p. 42. Juſt. M. Paræn. p. 23. Irenæ. l. 4. c. 37. & l. 5. c. 15. Cyril. Alex. Theſau. l. 1. c. 5. in Gen. 18. 1. cum aliis.

inſtar Ψιλȣ̃ ἀνθρώπȣ, naturam aſſignaſſet? Præſertim cùm ibidem ſimiliter de Deo omnium Parente aſſerat S. Martyr, eum in regione ſuâ, quæcunque ea tandem fuerit, manere. Quæ ſi abſque ullâ Dei Patris immenſitatis injuriâ à Juſtino dicta fuerint, Sandio, ut opinor, minimè diffitente; iniquè admodùm ex Filio ſub viſibili carnis figurâ in terras deſcenſu, hominum allocutione, &c. ejuſdem cum Patre quoad divinam inviſibilemque naturam, paritatem & æqualitatem convellere ſatagit perſonatus Arianus. Sed de his plura cùm ad Irenæum & Tertullianum perventum fuerit.

Pag. 213. Vid. Origen. l. 4. in Celſ. p. 164. ſupra habes.

Progreditur, ſuo more Sandius, aitque Juſtinum docuiſſe, 'Chriſtum eſſe Angelum creatum vel factum, qui propter 'commiſſum ſibi munus Dei appellatione 'honoratus ſit. Hæc, liberè dicam tam ignorantiam aut errorem quàm malitiam, & in Chriſtum Dominum odium ſapiunt. Reſponſum habeat Sandius, Juſtinus nuſquam docuit Chriſtum eſſe creatum Angelum, ſed tantum à Scripturâ ſæpius inter alia Angeli nomine appellatum; quod longè aliud eſt. Concedo S. Martyrem alicubi ſcripſiſſe, Chriſtum (non creatum ſed) factum ſeu conſtitutum eſſe Angelum. Verum non proprio (quod nec Arianos arridere ſat ſcio) ſed ſenſu planè Metaphorico, h. e. factum fuiſſe nuncium Dei Patris, ejus voluntatem adminiſtrantem & hominibus annunciantem. Eodem inſuper reſpectu Dei appellatione

Dia. p. 230.

pellatione honoratum fuiſſe, ſed (quod Sandius advertiſſet) non ſolo. Non enim tantum ratione annunciationis hominibus, ſed etiam, idque præcipuè, voluntariæ à Patre generationis, Filius Juſtino Deus & Dominus eſt. Audiamus ipſum. 'His nominibus '(*inquit*) appellari habet, cum ex paterni 'conſilii adminiſtratione, tum voluntariâ 'Patris generatione. Hæc, veriſſimeque, Juſtinus.

Nec eſt quod cuiquam ſcrupulum faciat voluntaria Filii Dei generatio. Ut enim voluntariè, h. e. non invitè, Deus Pater bonus, juſtus, immò, Deus eſt, ſimiliter voluntariè Filium generando Pater eſt. Qualiter autem genuit, cum ineffabile myſterium ſit, ad hunc modum adumbrat divinus noſter Philoſophus. 'Sicut nos homines (*inquit*) 'Verbum aliquod proferentes ſine reſectione 'gignimus, aut ignem ab igne ſine dimi'nutione accendimus. Juſtino igitur Chriſtus Dei Patris Filius eſt, ex eo ſine reſectione aut diminutione genitus, immò unigenitus eſt, neutiquam factus & creatus Angelus, quod Sandii Chriſtomachi figmentum hæreticum eſt planè muſteum.

Sed nondum finitus Oreſtes. Ait inſuper Sandius Juſtinum docere, '*Chriſtum à Patre* '*generatum* (minimè factum aut creatum) '*numero aliud eſſe à generante.* Hæc autem vereor ne à Sandio parum ingenuè allegata ſint. Non enim aliud, hoc eſt, naturâ disjunctum aut diverſum, ſed tantum alium, perſonâ

Dialog. p. 221. 243. 280.

Voluntate non præcedente ſed concomitante.

Auguſtin. de Trinit. l. 15. c. 20. Hilar. de Synodis. Epiphan. in Ancorat. p. 378. pag. 221.

Chriſtus Angelus officio, non naturâ.

Tertull. de carne Chriſti cap. 14.

Laudabile non eſt ea Patrum loca in ſenſum deteriorem torquere quæ meliorem ferre poſſunt. Sãdius de Script. Eccl. p. 63. Vid. Tertull. adv. Prax. c. 8, 9. Supra.

perſonâ ſcil. diſtinctum, Chriſtum à Patre paſſim perhibet Juſtinus. In hunc enim modum Tryphonem alloquitur. ‘ Ad Scripturas ‘ rediens perſuadere vobis conabor, quod ille ‘ qui Abrahæ & Jacobo & Moſi apparuit, ‘ Deuſque eſſe dictus & ſcriptus eſt, ἕτερός ‘ ἐστι, non aliud ſed alius eſt ab eo qui cun- ‘ cta creavit Deo ; numero dico, non conſi- ‘ lio. *Similiter alibi.* Ἐστὶ καὶ λέγεται Θεὸς καὶ Κύ- ‘ ριος ἕτερος ὑπὲρ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων. Alius ‘ eſt & legitur Deus & Dominus ſuper vel ‘ præter, opificem univerſorum.

Dialog. pag. 214, 215.

Dialog. pag, 209.

Haud præfractè interim negaturus ſum Juſtinum in eodem Dialogo Verbum aliud eſſe à generante profiteri. Quod ſi prudens Lector loca ipſa attentius inſpexerit, facilè percipiet hæc à S. Martyre pio ſanoque ſenſu ſcripta, in alium à Juſtini mente planè alienum detorqueri. In Hæreticos in Dialogi fine diſſerit Juſtinus, qui Filium, non *hypoſtaſin* aut *perſonam, ſed virtutem* tantum aut *qualitatem* à Patre proſilientem reſilientemque venditârunt. Quemadmodum lux Solaris (inquit) Sole oriente conſpicitur, occidente vero aufertur. Hos redarguens Juſtinus addit, ‘ Verbum οὐκ ὡς τοῦ ἡλίου ‘ φῶς ὀνόματι μόνῳ, non ita ut Solis lumen ‘ nomine tantum (diſtinctum) numerari, (quippè quòd lumen minimè perſona ſit per ſe ſubſiſtens & numero diſtincta, ſed accidens tantum cujus eſſe eſt ineſſe) ‘ verum ‘ numero quoque (h. e. perſonâ ſeu ſubſiſtentiâ, licet non conſilio) ‘ ἕτερόν τι aliud quiddam

Pag. 280. & 281.

'quiddam revera diverſum aut diſtinctum. Quis autem neſcit communi apud Græcos loquendi uſu ἕτερόν τι non modò rebus, verum etiam perſonis, iiſque maſculini generis, accommodari? quem in modum ipſe Juſtinus alicubi habet 'οὐκ ἔγνωσαν Ἰουδαῖοι τί Πατὴρ 'καὶ τί υἱὸς, non noverunt Judæi quid (τί non 'τίς, quis) ſit Pater & quid Filius. Similiter 'poſt pauca habet Juſtinus. Intelligitis (Auditores) Verbum declarare, tum à Patre editum eſſe germen hoc ante creaturas omnes, 'tùm germen ipſum numero aliud eſſe à generante, τὸ γεννώμενον τοῦ γεννῶντος ἀριθμῷ ἕτερόν ἐστι. Quis, oro, miretur Juſtinum ἕτερόν τι (aliud quid) neutro genere ſcripſiſſe, cùm prius dixerat Verbum eſſe τὸ γέννημα, germen, & τὸ γεννώμενον, genitum? Certè ſi ἕτερος γέννημα vel γεννώμενον ſcripſiſſet Juſtinus, eundem ut incongruæ dictionis reum exagitarent Grammatici. Apolog. 2. p. 74.

Sed miſſo hoc, Grammaticali bello, quiſnam fuerit Juſtini ſenſus haud obſcurum eſt. Cùm in Dialogo eò loci, & alibi, maximoperè ſatagit, ut probet, illum qui Patriarchis olim apparuit ἕτερον alium eſſe à Patre univerſorum, non aliud (hoc eſt ſubſtantiâ diviſum aut diverſum, quod Deorum multitudinem Juſtino inviſam neceſſariò inferret) ſed alium, i. e. perſonâ aut ſubſiſtentiâ diſtinctum. Quod ipſum aliis impræſentiarum omiſſis vel hic ipſe qui præ manibus eſt Juſtini locus luculenter admodùm evincit. Videmus enim S. Martyrem Verbum, Dei

Vid. Athanaſ. orat. 3. in Arianos.

Eſt differentia inter natum & factum.

Irenæus lib. 4. cap. 79.

Similiter Dionyſ. Alexandr. ſupra.

Filium, & Deum, non Patris ποίημα vel κτίσμα opus aut creaturam, ſed γέννημα & γεννώμενον germen ſeu genitum celebrare: neutiquam à patre factum aut conditum (ut Sandius vellet) ſed ante omnes creaturas (h. e. Scripturæ phraſi *ab æterno*) genitum. Quis autem ignorat germen non eſſe (naturâ ſcil. aut ſubſtantiâ) aliud à germinante, quanquam omninò & abſolutè idem non ſint; aut Filium à generante, licet perſonâ alius ſit. Proferat vel unum ex ſcriptis (ſemper intelligo indubitatis) Juſtini locum Sandius, ubi Verbum aut Filium naturam à Patre ſuo diverſam & alienam generando accepiſſe, vel à Deo creatam & factam ex nihilo ſortitum eſſe conſtet, & laureatus, per me licet, incedat Arianorum hyperaſpiſtes. Ut finem hiſce imponam ad alia tranſiturus. Quid ſi concedamus gratis adverſario Juſtinum, diſtinctionem inter alium & aliud à Scholaſticis religiosè ſubtiliterve obſervatam, negligentius habuiſſe, & paulò durius, noſtris præſertim auribus, locutum fuiſſe; num eam ob rem Catholicæ fidei doctori & Martyri nefandum hæreſeos crimen cum Sandio intentabimus? Abſit. Non enim in verbis, ut alibi Juſtinus, ſed in rebus ſita eſt Chriſtianæ religionis ſinceritas. Haud in verborum ſyllabis vertuntur fortunæ fidei aut Eccleſiæ. Juſtini doctrina Catholica eſt. Unum ſolum verum Deum agnoſcit & Chriſtum Deum eſſe clariſſimè confitetur. Hinc Chriſtum cum Patre unum verum

Lombard. l. 1. Sent. Diſtinct. 2.

Non crederem ipſi Domino alium Deum præter creatorem prædicanti Juſt. M. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 4. cap. 18.

verum Deum eſſe Juſtinum ſenſiſſe certiſſimum eſt. Similiter nos docet, Deum ſolum, non creaturam ullam eſſe adorandam. Addit; Chriſtum, necnon Spiritum S. eſſe adorandum, imo à Chriſtianis adoratum. Chriſtus igitur Juſtino non creatura, ſed Deus eſt cum Patre & Spiritu S. (quicquid Ariani ogganniunt) adorandus.

Paræn. p. 15, 16. Dial. p. 197. 279, 280. Apol. 2. pag. 49, 50. Dial. p. 223. Apol. p. 43. 47.

Quæ ſequuntur apud Sandium leviora ſunt. Addit Juſtinum docuiſſe, *Chriſtum ſine Deo Patre ſalvari non poſſe*, Non diffiteor ſimile quid apud Juſtinum in Dialogo occurrere. Sed eo in loco (quem nullus dubito indigitat Sandius) apertiſſimè agitur de Chriſto, non ut Deo, ſed homine, qui in cruce pendens Dei ſalutem, opem & auxilium obnixè imploraverit. Verba Juſtini ità ſe habent. ‘Nam ſi Filius Dei, neque eò ‘quod Filius Dei ---neque eo quod mundus ‘à peccato prout Eſaias dicit---abſque Deo ‘ſe ſalvari poſſe affirmat, quonam modo vos ‘aut alii ſalutem citra ſpem iſtiuſmodi ex‘pectatis? Hæc Juſtinus in illa Pſalmi, *Deus meus es tu,ne deſciſcas à me*.Quæ verba cum reliquis, Juſtinus de Chriſto patiente,uti & alii Patres, prolixè interpretatur. Sed non eſt quod hiſce diutius immoremur.

Dial. p. 258. Pag. 258. Pſal. 22. A pag. 254.ad 261. edit. Commelin.

Ejuſdem commatis eſt quod proximè ſubjicit Sandius, ut Chriſti Deitatem convelleret. *Scripſit* (inquit) *Juſtinus Verbum eſſe Deum*. Sed in promptu eſt reſponſio. Hoc verum obtinere non de poſterioritate (ut ita loquar) temporis, ſed ordinis tantum

CAP. III.

ATHENAGORAS.

DE Athenagorâ ait Sandius eum talia in Apologiâ docuiſſe propter quæ Petavius eum dignum judicavit qui numeraretur inter eos qui idem quod Arius ante tradiderunt. Sed nos Petavii Jeſuitæ, & Traditionarii cenſuram haud multum moramur; cum non ſine ſummo fidei Catholicæ diſcrimine id imprimis ſatagunt Jeſuitæ, ut totius Chriſtianæ religionis certitudinem, non ſuper ſcripturam, aut, quod præ ſe ferunt, antiquos Patres, ſed Romanæ unius Eccleſiæ traditiones, immò Papæ ſolius, cujus oris (ut ipſi jactant) organa ſunt, & oracula fundunt, unice ſuſpendant. Pag. 131.

Briſacerius Jeſuita apud Dallæum de uſu Patrum, Pag. 164.

Manifeſtum nimis eſt, nec ſine ſuſpirio literis exarandum, Pſeudo-Catholicos Romanenſes Arianorum & Anti-Trinitariorum erroribus & blaſphemiis, non modò feneſtram ſed ſceleratam portam aperuiſſe: partim, cum doceant Trinitatis Articulum non poſſe modeſtis ingeniis (pervicacibus enim nihil evidens eſt) ex S. Scripturis evidenter & apertè demonſtrari: Partim, dum nonnulli inter eos, iiſque in Patrum ſcriptis verſatiſſimi; ut Petavius, Huetius, Salmeron aliiſque, haud gravatim adverſariis Hæreticis concedant, doctiſſimos Patres & Apoſtolorum ætati proximos, eadem quæ

 poſtmodum

poſtmodum Arius, docuiſſe & ſcripſiſſe. Quid mirum igitur ſi homines (ut ſibi ſaltem videntur) acutiſſimi modernæ Eccleſiæ, præſertim Romanæ tot errorum multifariam reæ, ſine ſcripturæ firmamento, & contra unanimem (ut noviſſime edidit Sandius) antiquiſſimorum Patrum conſenſum docentis authoritatem reſpuant & vilipendant. Hæc de Petavio, necnon Huetio, ſæpius à Sandio laudato, ſemel dixiſſe ſatis ſit. Vide quæ ſupra diſſeruimus.

Pag. 67.

CAP. IV.

IRENÆUS.

Sand. p. 142. Cont. Auxentium. Irenæus lib. 3. c. 6.

ACcedit jam ad Irenæum Sandius; ſi cum S. Hilario illi res eſſet audiret Diabolus Arianus. ' Hunc ait docuiſſe, omnes ' Hæreticos eo fine & ſcopo docere ut unitatem Dei oppugnent. Solum Patrem autem ' Jeſu Chriſti eſſe verum Deum, Deum ' Abraam, Iſaac, Jacob, ſupra quem alius ' non ſit.

Vid. l. 4. c. 52. & l. 2. c. 1. & 2.

Reſponſum habeat Sandius. Hæreticos illos in quos agit Irenæus, Deum introduxiſſe, non ſolum à Patre Chriſti perſonâ diſtinctum, ſed ſuperiorem, diverſum & diviſum, immò contrarium. Hos redarguens Irenæus ſtatuit non eſſe alium Deum præter Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſupra quem non

eſt

eſt alius ſuperior Deus, ut Valentiniani & Marcionitæ hæretici blaſphemabant. Interim, ſalvâ ſemper Dei unitate, Filium eſſe unum illum & ſolum cum Patre Deum, Irenæum habemus (ut ſupra vidimus) diſertè profitentem, idque non uno in loco. Hunc igitur tanquàm ſub Arii vexillo militantem nefario & irrito conatu collocat Sandius, non modò *Fratrum*, ſed etiam *Patrum*, accuſator.

Unum Deum dicimus & Chriſtum hominem & Deum. Tert. cont. Praxean. c. 2.

Vid. Origen. cont. Celſ. lib. 8. p. 387, 388. de Marcionitis.

Animadvertendum autem eſt aliud eſſe dicere, *ſolum* (Adjectivè ſumptum) Patrem Chriſti eſſe unum illum verum Deum, referendo ſolum ad Patrem. Aliud verò, Patrem Chriſti *ſolùm* adverbialiter ſumptum eſſe illum unum verum Deum referendo ad Deum. Prius falſum eſt. Veriſſimum poſterius. Pater enim, cum Filio & Spiritu S. ſecundum Irenæi mentem, eſt verus Deus; cum verò plures veri Dii non ſint, nec eſſe poſſint, neceſſario unicus & ſolus. Hic (ſcil. Filius) excluſis Gentilium idolis erat Abraæ, Iſaac & Iſraelis Deus, uti Irenæus in illa, *Ego ſum Deus Patrum tuorum, Abram, Iſaac & Jacob*, luculenter agnoſcit. Chriſtus igitur ſecundum Irenæi fidem eſt Deus Iſraelis, qui, ut ipſe ſcribit, Moſi dixit, *Videns vidi vexationem populi mei, & deſcendi ut eruam eos*, ‘ab initio aſſuetus aſcendere & deſcendere ‘propter ſalutem eorum qui malè haberent. Deus autem Iſraelis, vel Sandio fatente, unus ſolus, & verus Deus eſt.

Vid. lib. 4. cap. 11. & 14.

Vid. Tertull. cont. Prax. c. 3.

Lib. 4. c. 26.

Addit Arianorum hyperaſpiſtes Irenæum docere,

docere, ‘Chriſtum non ſciviſſe diem judicii, ‘ſed ſolum Patrem, quia Pater ſit ſuper om‘nia, & ſuper Chriſtum, ipſo confitente & ‘dicente, *Pater me major eſt*.

Lib. 2. c. 48. & 50. Fateor Irenæum, ut Gnoſticorum, de ſuâ inenarrabilium Dei myſteriorum ſcientiâ gloriantium, inſolentiam refelleret, ſcripſiſſe, Athanaſius ad Serapion. Nazianzen. orat. 2. de Theol. Chriſtum ſeu Filium hominis (ſcil. ut Filium hominis) ignoraſſe diem judicii, quod ipſum apud Marcum Evangeliſtam ſcriptum legitur. Humanam enim etiam Filii Dei animam non fuiſſe omniſciam certiſſimum eſt. Chriſtum autem Judicem vivorum & mortuorum ſimpliciter & abſolutè (quod Vid. Clem. A. Pædag. l. 1. c. 6. & Origen. in Joan. pag. 28. Supra habes. aiunt) diem judicii neſciiſſe haud credibile videtur. Cùm enim ſigna diem illum proximè præcedentia clariſſimè prædixerit, & hominum, qui ſub illo temporis articulo vitam in terris acturi eſſent, mores actioneſque graphicè adeò depinxerit, dicens, Mar. 13. 32. Joan. 16. 30. *Sicut erat in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis : Sicut enim in diebus quæ præceſſerunt diluvium edebant & bibebant, &c. ad eum uſque diem quo ingreſſus eſt Noe in arcam &c. ita erit & adventus Filii hominis* ; Quis obſecro animum inducere poterit ut credat Chriſtum illum diem omnino neſciiſſe, cui hæc eidem diei quaſi annexa & proximè conjuncta perſpectiſſima fuere & exploratiſſima? Perinde ac ſi quis (verba Nazianzeni huc transferre liceat) ea quæ ante murum ſunt certiſſimè ſe ſcire affirmet, murum autem ipſum neſcire ſe fateatur. Quod autem

Qui ea quæ diem illum antecedunt eloquitur, omnino cognoſcit diem quæ poſt

autem ſubdit Sandius, Patrem eſſe Deum ſuper omnia, id ipſum (ut ſupra vidimus) Irenæus necnon Ignatius, Origenes, Tertullianus, aliique, non minus ad Filium referunt. 'Sed Chriſtus ipſe (*inquit*) con'feſſus eſt apud Joannem, *Pater me major eſt.* Rectè ; meminerit autem Sandius hæc à Chriſto θεανθρώπῳ & in ſtatu humiliationis (ut loquuntur) ſervi formâ induto dicta fuiſſe, quæ ejuſdem quoad divinam naturam, ſeu, ut habet S. Paulus, *formam Dei*, cum Patre æqualitatem ſeu paritatem nullatenus infringunt.

res prænunciatas ſubſecutura eſt.
Athan. orat. 4. in Arianos Nazianzen. Orat. 4. de Theologia.

Sed ultra addit Sandius Irenæum docuiſſe, *Filium & Spiritum S. miniſtrare Patri.* Agnoſco ; nimirum in mundi, nominatim hominis, creatione ; Fatetur autem Irenæus cum cæteris Patribus Chriſtum, necnon Spiritum S. mundum propriâ & inſitâ virtute, h. e. omnipotentiâ, creaſſe, non nudè inſtar miniſtrorum ſeu inſtrumentorum inſerviſſe. Quod ex verbis Dei apud Moſen, ab Irenæo noſtro ſupra memoratis, apertiſſime conſtat. *Faciamus* ('Filium, *inquit*, & Spiri'tum ſuum alloquens) *hominem ad imaginem* '*noſtram.* Et ſtatim addit, *Et fecit Deus* '(h. e. Filius) *hominem ad imaginem ſuam*, 'Patre quidem bene ſentiente, Filio vero 'miniſtrante & formante, Spiritu vero 'nutriente & augente) *ut alibi Irenæus* ; 'per quos tanquam manus ſuas (*inquit*) o'mnia liberè fecit.

Vid. Irenæum l. 2. c. 2. ſe explicantem.
Idoneum & ſufficiens ad formationem omnium Dei Verbum eſt.
Iren. lib. 4. cap. 75.
Lib. 5. prope finem.

His adjicere poſſem Patres docere Verbum

Clem. Pæd. l. 1. c. 3.

bum ſuſceptâ humanâ carne hominem ad imaginem ſuam formaſſe, & ſanctis manibus lutum inſtar figuli contrectaſſe. Quis autem dubitaverit Patrem Filio hâc ratione, ſenſu nimirum (ut ita loquar) conjuncto, majorem fuiſſe; aut negaverit Filium quod communi conſilio ſtatutum erat peregiſſe (cùm opera Trinitatis ad extra indiviſa ſint) eaque ratione Patri tanquam Trinitatis Corypheo (detur verbo venia) quodammodò miniſtraſſe.

Novatian. de Trinitate c. 10.
Lactant. l. 2. cap. 11.
Gregorius Thaumatur. ſupra.

Pergit Sandius, aitque Irenæum docuiſſe ‘Patrem eſſe inviſibilem, de quo Dominus ‘dixerit, *Deum nemo vidit unquam.* Ver-‘bum autem viſibile eſſe.

Joan. 1. 18.

In confeſſo eſt S. Irenæum ſcripſiſſe Patrem à nullo unquam Patriarcharum, aut Prophetarum viſum fuiſſe, ſed Verbum ſeu Filium. Filium autem ſuâ propriâ naturâ ut Verbum, viſibilem, aut viſum fuiſſe nunquam cogitavit, nuſquam certè ſcripſit Irenæus: Quanquam agnoſcat ſub viſibili formâ ſæpius aſſumptâ ſe hominibus videndum exhibuiſſe: quod aliud opinor eſt. Immò Ariani ipſi (quorum cauſam vel defendendam vel exornandam ſuſcepit Sandius) inſulſam hanc blaſphemiam ſcil. Verbum eſſe ſuâ naturâ humanis oculis viſibile, in Dei Filium evomere neutiquam auſi ſunt. Fatebantur etiam illi Dei Filium quanquam creatum, creaturam interim fuiſſe longè ſupra alias omnes, etiam Angelos, præſtantiſſimam, & in ſublimiori dignitatis faſtigio à

Lib. 4. cap. 37. pag. 364.
Vide Iren. l. 5. cap. 15. edit. Feuardent.
Orig. cont. Celſ. lib. 6.
Arnob. lib. 1.
Vid. Arii Ep. apud Epiphanium Hær. 69.

à Patre collocatam. Hunc honorem Chriſto Domino invidet Chriſtophorus noſter, quem Angelis minimè ſuperiorem, ſed planè inferiorem reddere conatur, cùm neminem lateat creaturam inviſibilem & ſpiritualem eſſe viſibili & corporeâ præſtantiorem, & excellentioris naturæ prærogativâ præferendam. Quibus autem oro te, Sandi, oculis illa Pauli ad Hebræos perluſtraſti. *Tanto præſtantior* (Filius ſcil.) *factus Angelis quanto excellentius præ illis ſortitus eſt nomen.* Necnon illa: *Et adorent eum omnes Angeli.*

Tertul. de carne Chriſti, cap. 14.

Heb. 1.

Ut menſuram calumniarum in S. Irenæum adimpleat Sandius, addit ſupremò eum docuiſſe, 'Patrem Jeſu Chriſti dominatione 'dominari Spiritui Sancto; cum Irenæus hæc tantum conceptis verbis ſcripſerit. 'Ego 'te invoco Domine Deus, &c. qui es ſolus & 'verus Deus, ſuper quem alius Deus non eſt 'præter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, 'dominatione quoque dominaris (*non Spiri*-'*tui S. ſed*) Spiritûs Sancti. Undè planiſſimè ſequitur eandem eſſe dominationem Dei Patris & Spiritûs S. ac proindè eſſentiam. Euge Chriſtophore, Arianorum cauſam ſtrenuè egiſti. Si mihi fas eſſet S. Patrum verba tuo more in alienum ab eorum pietate fideque ſenſum torquere, ex hoc loco inferre minimè dubitarem, Irenæum docuiſſe Jeſum Chriſtum eſſe alium Deum ſupra univerſi creatorem; cum ſcripſerit, *Te invoco Domine Deus --ſuper quem alius Deus non eſt præter Dominum Jeſum Chriſtum.* Sed apage hanc calumniandi libidinem.

Lib. 3. cap. 6. Sandius falſarius.

CAP.

CAP. V.

THEOPHILUS ANTIOCHENUS.

HUnc ſcribit Sandius docuiſſe, ‘Filium ‘Dei eſſe generatum, cum Pater ſuſce‘perit mundum creare, nec æternum fuiſſe; quam ſententiam Athenagoræ & Tatiano affingit (Sandii oraculum) Petavius. Ut his ſatisfactum ſit accuratius obſervandum eſt Theophilum Ant. λόγον duplicem nobis commendare; ἐνδιάθετον h. e. Verbum internum, mentem Dei; Rationem ſeu ſapientiam ab æterno intus apud Deum inexiſtentem ſeu ſubſiſtentem; & προφορικὸν, foras prolatum, quem λόγον Sermonalem alicubi appellat Tertullianus. Hoc Verbum, non Rationale ſed Sermonale, non ἐνδιάθετον, ſed προφορικὸν protulit Deus cùm mundum creare apud ſe conſtituerat, τοῦτον τὸν λόγον (ut habet Theophilus) ἐγέννησε προφορικόν. Quicquid igitur de λόγῳ προφορικῷ ſeu Sermone ſtatuamus ſarta tectaque manet λόγου ἐνδιαθέτου, Verbi interni, rationis, ſapientiæ ſeu mentis (quæ, ut diſertè aſſerit Theophilus noſter, ipſe Dei Filius eſt ex Deo progenitus) æterna apud Deum & in Deo ſubſiſtentia. Cùm enim Deus Pater non modò ante mundi fabricationem, ſed etiam ab omni æternitate rationalis fuerit, nec unquam (quod cogitatu nefas) abſque mente extiterit; Filium διὰ παντὸς ſemper ſecum co-inexiſtentem habuiſſe

Cont. Praxean. cap. 6. & 7.

Lib. 2. ad Autolycum pag. 80.

Ibid. p. 100. ut Athenagoras ſupra.

V. Origenem. Supra habes pag. 61.

buiſſe (ut nos inſtituit Theophilus) exploratiſſimum eſt. Fruſtra igitur ſub obtentu corum quæ patris de λόγῳ προφορικῷ ſeu Sermonali, imò (ut Theophilo aliiſque placet) viſibili, & cum Adamo in paradiſo colloquente ; vel paulò ante mundi ortum condito, progreſſo, aut exiliente, ſcripſerunt ; λόγȣ ἐνδιαθέτȣ Verbi interni, Rationis ſeu mentis Dei (quæ ejus Filius eſt) æternam ante omnia ſecula generationem, & cum Patre co-exiſtentiam convellere ſtudent Chriſtomachi Ariani. Hæc de Theophilo dicta ſint.

Lege de Trinitate Petavium l. 1. c. 5. §. 7. de λόγῳ vocali, corporato & ſubſiſtente.

Vid. Tatian. orat. p. 138.

CAP. VI.

CLEMENS ALEXANDRINUS.

AD Clementem Alexandrinum tranſit Sandius. Hunc ait docuiſſe, *Solum Deum Patrem Chriſti bonum eſſe & Deum.* Quid agis Sandi ? Quid infers ? Chriſtum non eſſe Deum ? immò, nec bonum ? Ariani tui utrumque confitentur. Dices forſitan te Clementis verba referre. Nullus inficior Clementem alicubi in ſe probandum aſſumere, eundem Deum (quod hæretici negârunt) & juſtum & bonum eſſe, & hunc Deum eſſe Chriſti Patrem, de quo dicit (Marcum Evangeliſtam non ad verbum ſed memoriter citans) Dominum noſtrum aſſeverâſſe, *Nemo bonus niſi Pater meus qui eſt in cœlis.* Quid igitur ? Num Chriſtus (*bonus Paſtor*) ſe malum

S. pag. 150.

Vid. Arii exiſt. apud Socratem, l. 1. c. 3.

Pædagog. l. 1. cap. 8.

Mar. 10. 18.

Niſi Deus. Joann. 10.

malum eſſe perhibuit? Abſit: Fortaſſe dixeris non eſſe bonum abſolutè & à ſeipſo. Benè habet. Nec nos diffitemur, Chriſtum, non tantum ut hominis, ſed etiam ut Dei Filium, quatenus Filium, à Patre, tanquam Deitatis ac proindè bonitatis, fonte, per ineffabilem & æternam generationem, omnia recepiſſe.

Principalis bonitas in Deo Patre.

Origen. de Princip. lib. 1. cap. 2. ſupra. Vid. Orig. in c. 5. ad Rom. Habes ſupra, p. 58. Novat. p. 106. p. 119. edit. Pariſ.

Clementem verò cùm eo in loco ſolum Deum Patrem Chriſti bonum eſſe pluribus confirmet, neutiquam ſenſiſſe Servatorem noſtrum ratione bonitatis à Patre diviſum fuiſſe aut naturâ disjunctum, ex verbis ejus paulò infrà ſubnexis, facilè intellexiſſet, ſi ultrà legiſſet, Sandius. In hunc enim modum ibidem ſcribit Clemens.--'Ut ſit veritate apertum quod qui eſt univerſorum Deus unus ſolus ſit bonus, juſtus opifex, Filius in Patre, cui gloria in ſecula (*inquit*) ſeculorum. Amen. Pater igitur Domini noſtri Jeſu Chriſti ita Clementi (unà cum Juſtino & Irenæo) unus & ſolus verus Deus, bonus & juſtus eſt, ut in & cum eo Filius idem omninò ſit, cui eadem cum Patre univerſorum gloria in ſecula ſeculorum adſcribenda eſt. Amen.

Vid. Orig. in Joann. p. 11. ſupra.

Strom. 7. in initio.

Scripſit inſuper, ait Sandius, Clemens, *Filii naturam omnipotenti Deo proximè accedere.* Rectè, & meritò ita ſcripſit, ut virum decuit Apoſtolicæ fidei traducem. Cùm enim ſuperiùs Chriſtum diſertiſſimè docuiſſet eſſe æquè ac Patrem, omnipotentem, æternum, omniſcium, ubique præſentem, Filii naturam

Vid. Clem. A. parte 1.

naturam ſupra omnem creaturæ conditionem etiam, poſſibilem, evexit, & omnipotenti Deo quam proximè accedere, veriſſimè ſcripſit, rectiſſimeque nos docuit, Clemens.

Addit Sandius eundem docuiſſe, 'Deum 'non cadere ſub demonſtrationem, Filium 'autem habere demonſtrationem. Quæ ſi alicubi ſcripſerit Clemens (neque enim locus occurrit) quo pacto Sandii propoſito inſerviant, haud ſatis intelligo. Locum forte habes, Str. 4. p. 537.

Sed illud fortaſſe majoris momenti eſt quod ſcripſerit Clemens, 'Verbum Dei eſſe 'opus eſſe factum, & patriæ voluntatis mi'niſterium. Hæc verò omnia de Verbo Deo incarnato ſeu θεανθρώπῳ veriſſimè dici potuiſſe, quis iverit inficias? Humanam enim Chriſti naturam fuiſſe Dei Patris opus aut facturam, in eaque Verbum Patris voluntati noſtræ ſalutis causâ morem geſſiſſe, & inſerviiſſe, apud omnes exploratiſſimæ veritatis eſt. Vide Clem. Pædag. l. 1. c. 1. Dionyſ. A. infra.

Non ſum neſcius Clementem alicubi ſcripſiſſe, (Utinam Patrum loca annotaſſet Sandius.) 'Quoniam unum eſt ingenitum '(nempe *Deus Pater omnipotens*) unum eſt 'etiam prægenitum, per quod omnia facta 'ſunt. Unus enim revera Deus qui fecit 'principium univerſorum, ſignificans pri'mogenitum Filium, ut ſcribit Petrus; præ'clarè intelligens illud, *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Notandum autem eſt hæc ex libro Petri, non Canonico ſed Apocrypho *Petri prædicatio* nuncupato Clementem Strom. 6. p. 244. Cœlum & terram, non Filium. Vid. Tertull. cont. Prax. cap. 5.

 hauſiſſe,

hauſiſſe. Undè etiam illa, Apoſtolicæ Petri doctrinæ, ſeu prædicationi parum congrua, mutuatus eſt. Dicit Petrus (in libro ſupra memorato) Dominum Jeſum dixiſſe Apoſtolis, *Si quis ergo velit ex Iſraele duci pænitentiâ, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata poſt duodecim annos.* Quis non videt S. Clementem plus æquo Apocrypho huic libro, uti Hermetis Paſtori, Barnabæ epiſtolæ, Pauli actis, aliiſque ejuſdem characteris, fidem adhibuiſſe? Quanquam eodem in loco Chriſtum Dei Sapientiam & Conſiliarium clariſſimè agnoſcat. Quiſquamne autem ſanæ mentis crediturus eſt, creaturam ex nihilo in tempore, vel ante tempus, factam; Dei eſſe Sapientiam aut fuiſſe Conſiliarium? Abſit. Fatendum igitur eſt Clementem (ſalvâ doctiſſimi Patris reverentiâ) vel ſuppoſititiâ Petri autoritate deceptum, Chriſtum in principio factum ſecurius & incautius tradidiſſe, vel Catachreſticè *factum* pro *genito* accepiſſe; præſertim cum aliis in locis Verbum æternum, omniſcium, omnipotens, & cum Patre unum, disertè prædicaverit, quod rei factæ adſcribere, non modò blaſphemum eſſet, ſed planè impoſſibile & contradictorium.

Hanc ob cauſam Sandio placent Apocrypha, quia illius opinioni ſuffragantur.

Ibid.

Vid. Tertull. de anima c. 4.

Ultimo Clementem ſcripſiſſe aſſerit Sandius, ‘Patrem eſſe primam cauſam, Filium ‘verò ſecundam. Illum Deum dici cum ar‘ticulo. Hunc abſque articulo.

Strom. 7. ni fallor, circa initium.

Liceat mihi Sandio Sandii verba ſuperius habita in reſponſionis partem reponere.

‘Laudabile

'Laudabile non eſt ea ſanctorum Patrum lo- 'ca in ſenſum deteriorem torquere, quæ 'commodiorem ferre poſſunt. Hæc autem Clementis (ſi modò Clementis) pium ſanumq; ſenſum, non modò ferre poſſunt, ſed ambiunt. Ut enim Dei Filius ſecunda in ſanctiſſimâ Trinitate perſona rectiſſimè nominatur, ita & cauſa. Non cauſa cauſata, quo ſenſu creaturæ omnes cauſæ ſecundæ in Scholis appellantur, ſed cauſa cauſans, à quâ quæcunque facta ſunt initium accepiſſe S. literæ apertiſſimè teſtantur. Vox igitur illa ſecunda minimè Clementi naturæ Filii Dei inæqualitatem, ſed divinarum perſonarum, tum in ſubſiſtendo, tum (quod apprimè notandum) in operando ordinem indigitat. Pater enim, cùm prima in SS. Trinitate perſona ſit, à ſeipſo eſt, & operatur. Filius, qui ſecundæ locum obtinet, à Patre. Spiritus S. ab utroque, cum tertia perſona ſit, procedit, & agit. Ratione ordinis hujus & οἰκονομίας, Filius & Spiritus S. à Patre mitti, eique miniſtrare ſeu inſervire dicuntur. In eundem ſenſum ſupra ſcripſit Juſtinus, *Filium Dei ſecundo loco adoramus*: quem ſi in creaturæ ordinem redegeris, adorare piaculum eſſet. Nec abſimiliter Tertullianus, 'Omne 'quod prodit ex aliquo ſecundum ſit ejus 'neceſſe eſt de quo prodit. Sed de his ſatis.

De Script. Eccleſ. pag. 63.

Vide Zanchium Epiſt. ad Stuccium.

Ordo diſpoſitæ poteſtatis.

Novatian. de Trinit. c. 22.

Apol. 1. pag. 40.

De Trinit. c. 31. & cont. Prax. c. 1.

Quod autem Criticiſmum à Sandio allatum ſpectat, facilè reſpondemus, Articulos Grammaticos non figere aut refigere articulos fidei. Præſertim cum liquidò conſtet

ſtet in S. Scripturis etiam Deum Patrem ſæpius ſine præpoſitione articuli nuncupari; ut ad Rom. c. 1. v. 4. 1 Cor. 1. 1. 2 Cor. 1. v. 1. Mat. 12. 28. 1 Cor. 1. 24. & alibi, ut pluribus oſtendit doctiſſimus D. Pearſonus, jam Epiſcopus Ceſtrenſis.

De Symb. Apoſt. p. 460.

Ubi locorum Clemens hæc quæ à Sandio allegata ſunt, conceptis verbis ſcripſerit, fateor me nondum reperiſſe. Niſi forte in ea quæ Stromatum libro 3. occurrunt limis oculis reſpexerit Sandius. 'Non Deum abſolutè (*ait Clemens*) dixit articuli præpoſitione (*nempe ὁ Θεὸς dicens*) cum qui omnipotens eſt ſignificans. Verum eſto. Ita ſe habeat. Quale exindè Arianis ſuis patrocinium aſciſcit Sandius? Apud omnes enim Catholicæ fidei profeſſores in confeſſo eſt, Deo Patri, ſartâ tectâque tum Filii, tum Spiritus S. conſubſtantialitate, ſingularem ὑπεροχὴν & præeminentiam jure ſuo competere in quantum fons & radix eſt Deitatis cæteris SS. Trinitatis perſonis communicatæ. Si igitur Patres in ſcriptis ſuis ſupereminentiam hanc articuli præpoſitione (quod minimè verum eſt) conſtanter docuiſſent, nihil indè cauſæ quam defendimus præjudicii, nihil Arianorum fautori emolumenti conſequeretur.

Pag. 460. Vid. Origen in Joann. Tom. 2.

CAP.

CAP. VII.

ORIGENES.

ORigenem quod attinet Clementis diſcipulum, & in Trinitatis fide ſequacem, brevi abſolvam. Quam diſerta & præ cæteris illuſtria Apoſtolicæ doctrinæ teſtimonia nobis ſuppeditavit Origenes, Arianæ hæreſeos jugulum petentia, ſupra vidimus. Regerit Sandius, 'Hæc non eſſe Origenis 'ſed interpretum; cum aliis in locis ab hiſce 'plurimum diverſa, immo planè contraria, 'docuerit, nimirum, Patrem & Filium duas 'eſſe ſubſtantias, at unam conſenſu (*ſolum* '*adde*) & voluntatis identitate.

Beryllum Epiſc. Chriſti divinitatem negantem confutavit. Euſeb. Hiſt. l. 6. cap. 26.
Baſil. M. & Nazian. Origenem Arianum fuiſſe negant.
Ibid. l. 4. c. 21.
Vide Auguſt. de Hæreſ. 43.

'Chriſtum non eſſe diligendum toto corde, non eſſe adorandum, non eſſe bonum 'niſi abuſivè, Patri collatum eſſe menda'cium, non veritatem; Et alia abſurda planè & blaſphema, homine ſano, quanto magis Origene, indigna. Sandium haud pudet portenta hæc (ſi ultimum excipias) viro ſanè doctiſſimo affigere. Nos cum Athanaſio, Euſebio, Didymo, Ruffino, Haymone, Mirandulano, Merlino, Sixto Senenſi, aliiſque, ab hæreticis potius inſerta dicimus. Judicet per me licet æquus Lector, cui parti fidem adhibiturus ſit. Quod ſi illi ſententiæ adhæſerit errores illos minimè aliorum, ſed Origenis ipſius revera fuiſſe, diligenter animadvertat; Catholicam Eccle-

Vid. Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 32. Socratem lib. 6. cap. 12. & l. 7. cap. 6.
Vide Sulpit. Sever. Dial. l. 1. ubi Poſthumiani de Origene ſententia extat.

ſiæ fidem neutiquam ex unius aut alterius Patris ſententiá, nedum ſingulari teſtimonio, verè minus aut incommodè prolato, æſtimandam eſſe, ſed ex communi Patrum omnium vel ſaltem plurimorum & præſtantiſſimorum, conſenſu in idem junctis quaſi ſuffragiis conſpirantium. Quam in rem operæ pretium exiſtimo verba Vincentii Lirinenſis in aureo ſuo contra hæreſes libello huc tranſcribere; ' In ipsâ item (*inquit*) Catholicâ Eccleſiá magnoperè curandum eſt, ' ut id teneamus quod ubique, quod ſemper, ' quod ab omnibus creditum eſt: Hoc eſt ' enim verè proprieque Catholicum, quod ' ipſa vis nominis ratioque declarat. *Et capi-* ' *te proximo*: Quicquid non unum aut duó ' tantum, ſed omnes pariter uno eodemque ' conſenſu apertè, frequenter, perſeveranter ' tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe, cognoverit, id ' ſibi quoque intelligat Chriſtianus, abſque ' ulla dubitatione credendum. Quod illuſtrat exemplis Origenis, necnon Tertulliani, Apollinaris, aliorumqne. Tandem in calce libri nos docet hoc modo; ſc. ' Collatis ' antiquorum Patrum ſententiis, Neſtorium ' tanquam hæreticum à magnoConcilio Epheſino condemnatum fuiſſe. Nec abſimile conſilium Theodoſio Imperatori Siſinnium dediſſe referunt Socrates & Sozomenus; nimirùm ut hæreticos Arianos percontaretur ' reciperentque eos qui ante Eccleſiæ diſtractionem interpretes ac Doctores fuiſſent S. ' Scripturæ. Quos ſi admitterent (omiſſa diſputatione,

Vincent Lirinenſ. cap. 3. 4.

Cap. 3.

Lib. Hiſt. c. 12.

Lib. 5. c. 10.

diſputatione, rixarum fonte) ‘ cum iis ex ‘ eorum in medium productis libris agendum ‘ eſſe, ex quibus clariſſimè revincerentur. ‘ Certò enim ſciebat, (inquit *Socrates*) ve‘ teres qui æternum cum Patre Filium co‘ gnoverant, minimè auſos fuiſſe dicere il‘ lum ex aliquo principio (ſcil. *temporis*) ‘ duxiſſe originem. Hæc ille. Notandum autem eſt Arianos (ut ibidem legitur) quanquam Patres magnifice laudibus efferrent, eorum interim ſententiæ in finiendis quæſtionibus acquieſcere minimè conſenſiſſe.

Vide Athanaſ. de decretis Synodi Nicænæ, p. 423.

CAP. VIII.

TERTULLIANUS.

TErtullianum ſolito candore proſequitur Sandius, ‘ Hunc ait docuiſſe ab hæreti‘ co Praxeâ prædicari Jeſum Chriſtum eſſe ‘ ipſum Dominum Deum (*Patrem* addere debuiſſet, quod malâ fide ſubticuit Chriſtophorus) ‘ omnipotentem. Sed quid nobis obſecro cum Hæretico Praxeâ ſanctiſſimas Trinitatis perſonas confundente, aut Ario eaſdem non minori impietate ſeparante & disjungente?

Pag. 152.

Vid. Dionyſ. Rom. ſupra.

Addit Tertullianum (vel potius (ut Hieronymo viſum eſt) Novatianum) aſſeruiſſe, ‘ Patrem & Filium eſſe unum per ſi‘ militudinem & dilectionem Patris, & ob‘ ſequium Filii, per concordiam & eandem

Lib. 2. cont. Ruffin.

 ſententiam,

'ſententiam, per charitatis ſocietatem & 'amorem, ſicut Paulus & Apollo unum 'ſunt.

Cap. 19. & 22. Non diffiteor hæc in libro de Trinitate, Tertulliano communiter adſcripto inveniri. Quis negat Patrem & Filium per concordiam, per charitatis ſocietatem, & amorem, unum eſſe? Peccas ignoratione elenchi Chriſtophore. Id tibi reſtat probandum Tertullianum vel Novatianum aſſerere, Patrem & Filium non aliter aut alio modo unum eſſe, quam ſolâ voluntatis concordiâ, non item ſubſtantiâ vel eſſentiâ; cujus contrarium apertiſſimè conſtat.

Vide Tertull. cont. Praxean cap. 3. & 11.

Novatianus enim diſertè agnoſcit inter Patrem & Filium 'non modo concordiæ 'ſed ſubſtantiæ communionem, & ne duos 'Deos (*quod Sandio notandum eſt*) reddidiſſe 'videatur, Divinitatis æqualitatem. Sanè quæcunque fuerit Novatiani ſententia, Tertullianus Chriſtum (ut ſupra videre eſt) ex Deo prolatum aſſerit, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ.

De Trinit. cap. ult.

Apologet. cap. 29. Idem docet cont. Prax. c. 2, 3, 11, 13, 22.

In eodem libro verba illa quæ Tertulliani nomine à Sandio proximè citantur reperiri minimè dubito: ſcil. *Nihil ante Chriſtum eſſe præter Patrem.* Ubi illud *ante* neutiquam prioritatem temporis indicat, ſed originis tantum. Mentem ſuam propriis verbis explicatam nobis det ipſe Noviatianus. 'Hic 'ergo (ſcil. *Chriſtus*) cum ſit genitus (*inquit*) 'à Patre, ſemper eſt in Patre. Semper au-

Cap. 11.

De Trinit. cap. 31.

'tem

'tem ſic dico, ut non innatum, ſed natum 'probem. Sed qui ante omne tempus eſt '(*nota Sandi*) ſemper in Patre fuiſſe di- 'cendus eſt: nec enim tempus illi aſſignari 'poteſt, qui ante tempus eſt. Semper enim 'in Patre (*non ut innatus, ſed ut natus aut 'genitus*) ne Pater (*quod Arium jugulat*) 'non ſemper ſit Pater. *Statim addit*; Quia '& Pater illum etiam, quadam ratione præ- 'cedit, quod neceſſe eſt quodammodo prior 'ſit quâ Pater ſit. Quoniam aliquo pacto an- 'tecedat neceſſe eſt eum qui habet originem 'ille qui originem neſcit. Nimirum antece-dentiâ non temporis aut durationis (ut calumniatur Sandius, Pater enim, ut ait, ſemper Pater erat) ſed ordinis & originis.

Chriſtus eſt Verbum Patris non innatum ſeu eſſentiale ſed natum ſeu perſonale, ut loquuntur Scholaſtici.

Non eſt Filius poſt Patrem ſed de Patre. Origen. in c. 9. ad Rom. cont. Celſ. lib. 6. ſupra.

Eodem ſenſu ibidem Patrem Filio majorem eſſe agnoſcit in hæc verba. 'Simul ut 'hic (ſcil. *Filius*) minor ſit, dum in illo eſſe 'ſe ſcit; habens originem quia naſcitur, & 'per Patrem quodammodò, h. e. ratione 'perſonæ, non naturæ quæ innaſcibilis eſt, 'ut Scholaſtici loquuntur.

Non minori ſe tradidit omnia Pater ſcil. Filio. Tertull. contra Marcion. lib. 4. cap. 25.

His adjungit quæ Sandius tanquam Tertulliano accepta refert. *Hic ergo quando Pater voluit proceſſit ex Patre.* Rectiſſime: voluit autem ab æterno. '*Nec enim* (ut ſuprà 'ſcripſerat) *tempus illi aſſignari poteſt, qui 'ante tempus eſt & ſemper erat in Patre* (ſcil. ut Filius natus ſeu genitus) '*ne Pater non 'ſemper ſit Pater.* Hæc Novatianus. Si verò Filius ſemper non eſſet nec Pater ſemper eſſet. Nemo enim Pater eſſe poteſt, & ſem-

De Trinit. cap. 31.

per

per Pater, cui & ſemper Filius non eſt. Non poſſum non mirari quâ fide, vel potius confidentiâ, truncata hæc Novatiani verba in Arianorum gratiam protulerit Sandius. Certè ſi Novatianus fuiſſet, non fuiſſet Arianus.

Chriſtus Deus ſed qua Filius (nota) Dei natus ex Deo. De Trinit. c. 18. Deus ſic ut Filius, c. 20. Vide Calvini Inſtitut. lib. 1. cap. 13. num. 20.

Sed pergit Sandius. *Patrem Tertulliano eſſe Chriſti Deum.* Rectè. Quis noſtrum negat? Sive enim Chriſtum ut Filium Dei, ſive ut Filium hominis, conſideraveris, Patrem habere neceſſe eſt, eumque Deum omnipotentem, omnium principium & originem. Tranſeamus ad reliqua. Tertullianus, ait Sandius, docuit, ‘Chriſtum eſſe miniſtrum ac ‘Vicarium Patris, mandata accepiſſe à Pa‘tre, etiam ante carnis aſſumptionem & ‘obedientiam Patri præſtitiſſe.

De Trinitat. cap. 17. & 32.

Agnoſco hæc à Tertulliano vel Novatiano, aliiſque Patribus paſſim veriſſimeque doceri; quemadmodum ſupra notatum eſt.

Filium deduco non aliunde ſed de ſubſtantia Patris nihil facientem ſine Patris voluntate. Tertull. cont. Prax. cap. 3. Imo una utriuſque voluntas & ſubſtantia eſt. Lactant. l. 4. cap. 29.

Reſponſum habeat Sandius. Obedientiam Filium maximè decere; naturæ diverſitatem aut inæqualitatem minimè inferre; ſecundum tritum illud Theologorum effatum, *Miſſio & obedientia non tollunt æqualitatem naturæ.* Filius Patri liberè inſerviens æquè ac Pater ipſe homo eſt. Quanquam obedientia à Deo Filio Deo Patri præſtita, multum diverſa ſit ab eâ quæ inter homines verſatur. Chriſti enim obedientia, ſi accuratè loquamur, nihil aliud erat quam voluntaria executio earum rerum quæ communi conſenſu à Patre, & ſeipſo, cum Spiritu

ritu S. præordinata fuere. Chriſtum Patris mandata accepiſſe, & ante carnis aſſumptionem obedientiam Patri præſtitiſſe, ait ex Tertulliano Sandius. Benè habet. Addere libet; non ſolum mandata accepiſſe, verum etiam eadem peregiſſe. Quænam autem, obſecro, fuere mandata illa à Patre accepta? Dic ſedes Chriſtophore. Nonne mundum, Angelos, homines, ex nihilo creare, regere, redimere, ſanctificare, à mortuis reſuſcitare, ad æternam vitam perducere? Quis niſi unus ille & ſolus verus Deus omnipotens hæc præſtare potis eſt? Mandata igitur Chriſto à Patre tradita, & ab eodem præſtita, ejuſdem omnipotentem, & exinde Deo Patri conſubſtantialem naturam, nullo modo labefactant, ſed potius clariſſimè demonſtrant.

V. Novatian. de Trinit. cap. 17, 18, & 30. ad finem.

Vid. Origen. cont. Celſ. l. 2. pag. 68. Supra habes pag. 66. Vid. cont. Prax. c. 11. & 12. & cap. 25.

Sed inſtat Sandius, Tertullianum dicere, *Filium ſine initio* (nimirum non temporis, ut ſupra ſcripſerat, ſed originis tantum) *non fuiſſe, & fuiſſe tempus cum non fuerit Filius, adeoque Deum non ſemper fuiſſe Patrem.*

Hæc nullus dubito ex Tertulliani libro contra Hermogenem deſumpſit Sandius. Ubi in hunc modum ſcripſit Tertullianus: 'Quia & Pater Deus eſt, & Judex Deus 'eſt; non tamen ideò Pater & Judex ſem'per. Nam nec Pater eſſe potuit ante Fi'lium, nec Judex ante delictum. Fuit au'tem tempus cum & delictum, & Filius non 'fuit, quod Judicem & qui Patrem Domi'num faceret.

Cap. 3.

Ani-

Animadvertiſſet autem Sandius Tertullianum eo in libro non de Trinitate, ſed de mundi creatione verba facere. Deus autem non modò Chriſti, ſed etiam mundi Pater veriſſimè nuncupatur. Angelorum præſer-
Job.cap.38. 7. tim & primi hominis Adami, necnon poſte-
Lucæ 3. 38. rorum, qui, nec ſemel, in S. literis Filii Dei
Mal. 2. 10. nominantur. Horum reſpectu veriſſimè à
Gen. 6. 2. Tertulliano ſcriptum eſt tempus fuiſſe cum Deus Pater non fuerit, cum nec adhuc, mundo nondum creato talis nimirùm Filius fuerit. Hæc abſque ullâ in Chriſtum injuriâ ſcripta fuiſſe candidus Lector facilè perſentiſcat, cum idem Tertullianus aliis in locis Filii Dei æternam Majeſtatem apertiſſimè comprobaverit.

Superaddit Sandius Tertullianum docuiſſe, 'Chriſtum eſſe viſibilem, nec poſſe inviſi-'bilem definiri; quia ſemper retro viſus eſt, 'quia ab initio (ſcil. *mundi*) converſatus & 'congreſſus fuerit, cum Patriarchis, Adamo, 'Moſe, & Prophetis; quod aſcenderit, deſ-'cenderit, interrogaverit, &c. Deum Patrem 'autem inviſibilem eſſe, nunquam viſum, de
Exod. 33. 'quo dictum eſt; *Deum nemo videbit & vivet.*

Cap. 14. Adv. Judæos cap.9. & Marcion. l. 2. cap. 27. & lib. 4. cap. 22. Hæc vel ſimilia contra Praxeam & alibi ſcripſiſſe Tertullianum facilè concedam, non ut cum Sandio æternam Filii cum Patre in eâdem ſubſtantiâ unitatem refutaret (quam diſertiſſimè, ut ſupra videre eſt, agnoſcit) ſed ut Praxeanam SS. perſonarum confuſionem peſſundaret. Ut brevi expediam.

Id agit eo loci Tertullianus non ut Filium à Patre, tanquam alienum & factitium Deum ſepararet, ſed ut tanquam aliam perſonam ab eodem diſtingueret; unitatem in Trinitate, ut ipſe ibidem habet, diſponens. Tertullianum autem docuiſſe Verbum Dei Filium eſſe propriâ vel ſimplici ſuâ naturâ viſibilem, minimè adhuc probavit, nec opinor unquam probaturus eſt Sandius. Eundem verò aſſumptâ humanâ, vel aliâ qualicunque viſibili figurâ, Patriarchis necnon Prophetis, viſum fuiſſe, libenter concedimus. Angelos inſuper incorporeæ, vel ſaltem inviſibilis naturæ ſubſtantias non abſimili modo ſe humanis oculis repræſentâſſe certiſſimum eſt. Ex eo igitur quod Chriſtus Dei Verbum & Filius ſub mutuatâ ad tempus figurâ Prophetis olim viſibilis apparuerit, neutiquam ſequitur, eum naturam ſortiri ab inviſibili Deo Patre diverſam aut diſparem. Quâ in re paulò infra conſentientem nobis habemus etiam Tertullianum, in hæc verba ſeipſum interpretantem. ‘Dicimus & Filium ſuo nomine eatenus inviſibilem, quâ Sermo & Spiritus Dei ‘ex ſubſtantiæ conditione jam nunc, & quia ‘Deus & Sermo & Spiritus. Quid clarius? Quibus addit; ‘Viſibilem autem fuiſſe ante ‘carnem, in viſione, & in ſomnio, vel formâ qualicunque imaginaria, &c. Reſtat igitur eandem planè eſſe Dei Patris & Dei Filii naturam, h. e. ſuo (uti ſupra Tertullianus) vel proprio nomine ſpiritualem (cum Deus

Cont. Praxean cap. 9.

Vide Ignatii Epiſt. ad Polycarp. pag. 138.

Origenem & Arnobium, ſupra ſecundum primigeniam naturam Chriſtus inviſibilis eſt. Arnob. lib. 1.

Cont. Praxean cap. 14.

Verbum naturaliter inviſibile, viſibile factum eſt. Irenæus lib. 4. c. 41.

Deus ſit Spiritus) ac proinde inviſibilem; viſibilem autem nomine alieno, improprio & adventitio, ſc. ratione figuræ viſibilis aſſumptæ. Solus autem Pater inviſibilis à Tertulliano perhibetur, eo quod ex ejus ſententiâ nuſquam, uti Filius, aſſumpta viſibili forma, ſe hominum oculis videndum exhibuerit.

Vide Tertull. de carne Chriſti cap. 5. & Origen. hom. 4. in Geneſin. Cont. Prax. cap. 15.

In eodem libro etiam illa occurrunt à Sandio memorata & objecta. ‘ Minorem ſcil. ‘ eſſe gloriam Filii quàm Patris; de quo Pau- ‘ lus, *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem* ‘ *inhabitat inacceſſibilem.* Et ſupra. Regi ſecu- ‘ lorum immortali, inviſibili ſoli Deo, ut & ‘ contraria ipſi Filio adſcriberemus, mortalita- ‘ tem, acceſſibilitatem, quem mortuum con- ‘ teſtatur ſecundum Scripturas & à ſe no- ‘ viſſimè viſum, per acceſſibilem utique lu- ‘ cem. Ab Hilario veriſſimè ſcriptum eſt, ſenſum dictorum optimè ſumi à cauſis dicendi. Tertullianus verbis hiſce id unicè probare vehementer contendit (ut ſupra notavimus) Chriſtum ſeu Verbum non eſſe (quod Praxeas hæreticè & inſulsè aſſeruit) Patrem, ſed perſonam (quo vocabulo ſæpius utitur) ab eo revera diſtinctam; quanquam natura minimè disjunctam aut diverſam. Hinc quæcunque ſummo Deo ſeu Patre indigna ſunt (ut Sandius loquitur) & in S. literis Filio attributa, coacervat Tertullianus ut perſonale diſcrimen evinceret, & adverſarium dogmatis abſurditate pudefaceret. In hunc ſcopum collimans ex Scripturis probat, ‘ Chriſtum fuiſſe viſibilem, immò, ab ‘ hominibus

1 Tim. 6. 16.

De Trinit. l. 4.

Cont. Prax. cap. 6. & 7. De Trinit. cap. 31. cont. Marcion. lib. 2. c. 16. & 27. ſupra.

Vide Tertull. cont. Marcion. lib. 2. cap. 16. & 27.

'hominibus viſum, necnon contrectatum, 'mortalem fuiſſe, immò mortuum. Quis niſi cæcus planè & ſtupidus non videt hæc à Tertulliano, non Verbo ut Deo (quæ nec Angelo aut animæ humanæ rectè attribuas aut (vel Arianorum Chriſtomachorum ſenſu) Dei Filio) ſed Chriſto ut homini & Filio hominis, referri? Miror equidem non erubuiſſe Sandium eorum obtentu quæ de carne ſeu humanâ Chriſti naturâ apertiſſimè dicta ſunt, ejuſdem, ut Verbi, immortalem inviſibilemque Deitatem laceſſere, & eam in rem Tertulliani aliud agentis, & alibi luculentiſſimè Chriſtum unum eundemque ſubſtantiâ cum Patre (licet perſonâ alium) Deum aſſerentis, verba allegare. Si Ariani adorent Deitatem viſibilem, mortalem, immò mortuam, ſit anima mea cum Philoſophis.

Vide cap. 29. Tertullian. ſeipſum in hunc ſenſum interpretantem.

Adv. Prax. c. 2, 3, 13, 31.

Porrò ſcripſiſſe Tertullianum (vel fortè Novatianum) ait Sandius, *Patrem præpoſuiſſe omnibus Filium*, (nimirum ratione regni & Dominii, non eſſentialis (ut Scholaſtici diſtinguunt) ſed mediatorii & œconomici; quod apud omnes in confeſſo eſt) *Et Filium & Patrem eſſe aliud ab alio*; quod totidem verbis in tractatu contra Praxeam ſcriptum reperias.

De Trinit. cap. 21.

Joan. 5. 27. Cap. 9.

Neminem qui Tertulliani libellum adverſus Praxeam perlegerit latere poſſe arbitror, hæc à doctiſſimo viro clariſſime demonſtrari. Primò Patrem (quod Praxeas docuit) non eſſe Filium. Deinde, tam Filium

Vide cap. 2, 3, 13.

Cap. 11. & ultimo.

Deum

Deum eſſe quàm Patrem, ejuſdemque ſubſtantiæ communione. Ultimo, hinc divinæ naturæ unitatem ſeu, ut appellat μοναρχίαν, minimè deſtrui, aut plures Deos ritè inferri. Cùm igitur Tertullianus cautè minus ſcripſerit in Trinitate eſſe aliud ab alio, ſeu aliud & aliud, non alium ſolum & alium; nihil aliud voluit (cum Juſtino M. ſuprà prolato) quam Patrem eſſe revera à Filio diſtinctum aut diverſum; non natura aut ſubſtantia, (quod Monarchiam deſtrueret & Deorum multitudinem cum Gentilibus introduceret) ſed ſubſiſtentia tantum, aut perſona, qua voce frequenter uſus eſt. Tertulliano igitur non tam defenſore opus eſt quam candido interprete.

Nunquam ſeparatus à Patre aut alius (h.e. aliud) à Patre quia ego & Pater unum (non unus) ſumus. Cont. Prax. cap. 8. ubi ſtatim addit, Profiteor me duos (quid hoc ſonat, niſi alios) dicere Deum & Sermonem ejus. Ibid. Cont. Prax. cap. 2. & 9.

Simili modo alibi ſcribit Tertullianus. 'Heſterno huic Praxeæ dogmati quæ unicum Deum non alias putat credendum, 'quàm ſi ipſum eundemque (h. e. *eandem perſonam*) & Patrem & Filium & Spiritum S. dicat; quaſi non ſic unus ſit omnia, 'dum ex uno omnia per ſubſtantiæ unitatem. Quis non videt ex orationis ſerie ſeu contextu Tertullianum vocem unus indifferenter pro unum uſurpaſſe, cùm Filium, & ſimiliter Spiritum S. non unum maſculino genere, ſed alium à Patre diſerte contra Praxeæ hæreſin aſſerat; eſſe autem unum neutro genere, propter ſubſtantiæ, quàm clariſſime profitetur, unitatem. Cap. 22. cont. Prax.

Deus & Filius unus (hoc eſt unum) ambo. Apologet. c. 21.
De uno ambo abſurde dicitur, ut cuivis notum eſt.

Idem Tertullianus eodem in libro in hunc modum

modum ſcripſit. ‘ Exinde eum (h. e. *Chri-* Cont. Prax. ‘*ſtum*)parem ſibi faciens,de quo procedendo cap. 7. ‘Filius factus eſt. Primogenitus, ut ante o- ‘mnia genitus ; & unigenitus, ut ex Deo ‘genitus ; propriè de vulvâ cordis ipſius. Sandius, ni fallor plurimum, ex verbis hiſce parum ingenuè concludit, Verbum ſeu Filium Dei & Deum ex voluntate Patris fuiſſe factum, conditum & creatum ex nihilo.

Utinam de Chriſto eadem cum Tertulliano ſentiret Sandius. Eundem non modo primogenitum cum Arianis fateretur, utpote ante omnia alia genitum ſeu factum, ſed unigenitum, ut ſolum ex Deo genitum, Vid. cap. 16. 17. 18. contra Prax. idque propriè vulvâ cordis ipſius, h. e. ex ipſa Dei ſubſtantiâ natum, ac proinde ſenſu ſingulari & propriiſſimo Filium: Non tantum à Deo factum eſſe Chriſtum ſimpliciter, ſed (quod Tertullianus aſſerit) parem factum, h. e. coæqualem & conſubſtantialem ; vel ut ibidem habet, Filium factum eſſe Dei Ibid. cap. 7. de quo prodeundo generatus eſt. De verbis Aliud eſt natum. Aliud factum. Tertull. de anima, cap. 4. haud ita multum contenderemus, ſi de rebus hiſce conveniret. Si dixerit Sandius Chriſtum factum eſſe Dei Filium, addat cum Tertulliano parem eſſe factum idque non ut alia omnia, creatione ex nihilo, ſed generatione, ut unigenitum, prodeundo ex vulvâ cordis ipſius, h. e. Patris ſubſtantiâ.

Sed quicquid dixerit aut ſenſerit Sandius, extra omnem dubitationis aleam poſitum Cont. Prax. cap. 8. eſt, Tertullianum Chriſtum Deum, etiam

omnipotentem, agnoſcere, nec illi obſtare Scripturæ locos ab Arianis adduci ſolitos, de unico Deo; ut qui (ait) Filium Deum minimè excludant, ſed Gentilium idola.

Athan. cont. Sabell. idem docet.

Idem apertiſſime ibidem docet, ‘ Judaicæ ‘ fidei eſſe (*quod advertat Sandius*) ſic unum ‘ Deum credere, ut illi neque Filium neque ‘ Spiritum S. adnumeremus. In Deum autem factum credere quid aliud eſſet quàm Chriſtianæ fidei γυμνῇ (quod aiunt) κεφαλῇ renunciare, & Gentilium, creaturæ inſervientium, idololatriam, inferis relegatam, reſuſcitare? ‘ Quis enim (*uti alicubi habet* ‘ *Athanaſius*) Græcorum aut Romanorum ‘ Deum ſuum unum eſſe ex rebus creatis ‘ aut factis agnoſcere non erubuit? Verbo dicam. Creaturam à Deo ex nihilo factam Deo parem fieri, non modò abſurdum, ſed impoſſibile prorſus eſt & blaſphemum, nec Tertulliano ſine manifeſtâ calumniâ imputandum.

Ibid. cap. ult.

Roman. c. 1. v. 25.

Orat. brevi contra Arianos & de SententiaDionyſii Alex. in initio.

Cap. 25.

Ex libro de Trinitate illa inſuper tranſcripſit Sandius. ‘ Eum qui ad turrim Ba‘bylonicam deſcendit non fuiſſe Deum Pa‘trem; quia ſic loco concluderetur. Moſem ‘ autem ubique introducere Deum Patrem ‘ immenſum, & loco minimè concluſum. ‘ Joannem verò ſcripſiſſe, *Deum nemo vidit* ‘ *unquam*, ipſius autem Filii gloriam vi‘dimus, ne Verbum crederetur eſſe ſum‘mus Deus (Pater *addere debuiſſet Sandius*) ‘ inviſibilis. Hinc tacitè ſubindicat Filium eſſe diverſæ à Patre naturæ, cum immen-

Joan. 1. 14.

Cont. Prax. cap. 15.

ſus & inviſibilis ſit Pater. Filius autem viſibilis & loco circumſcriptus. Quod ultima verba ſpectat; ea à Joanne Evangeliſtâ de Chriſto jam incarnato & humano corpore induto, ſcripta fuiſſe, quis niſi mentis inops in dubium revocaverit? Ejuſdem autem Deitatem ab ullo viſam fuiſſe, aut corporeis oculis conſpectam, nullibi aſſerit Joannes. *Deus* (inquit) *Spiritus eſt: Spiritus verò inviſibilis eſt.* Cætera quod attinet; Verbo non per ſe, (ut in Scholis loquuntur) ſed propter aliud, h. e. non ratione naturæ propriæ & nativæ, quæ (ut ſupra diximus) à Tertulliano immenſa & inviſibilis perhibetur, ſed ſpectabilis figuræ, vel carnis œconomicè ad tempus aſſumptæ attribui rectiſſimè intelligamus. Sed de his ſupra & ſæpius à nobis dictum eſt. Joan. 4.

Ultimo refert Sandius Tertullianum ſcripſiſſe, 'Spiritum vel Paracletum eſſe Dei 'Patris miniſtrum, Chriſti, autem Vica- 'rium, ipſo Chriſto minorem. Patrem & 'Chriſtum Dominum eſſe Spiritûs. De Trinit. cap. 24.

Reſpondetur Tertullianum, vel potius Novatianum, Spiritum eodem ſenſu Filio, quo Filium Patre minorem docuiſſe, ſcil. ratione originis; non (quoad eſſentiam aut ſubſtantiam) inæqualitatis: Quod ex Tertulliano ipſo alio in loco diſcere potuiſſet Sandius, in hunc modum ſeipſum interpretante. 'Aliquo pacto, *inquit*, antecedat ne- 'ceſſe eſt eum qui habet originem ille qui 'originem neſcit. Simul ut hic minor, dum De Trinit. cap. 31.

'in illo eſſe ſe ſcit habens originem quia 'naſcitur; adde, vel procedit. Cum igitur Spiritus S. à Patre & Filio procedat, & ab utroque tanquam communi principio quicquid agat operetur; hinc ratione operum ad extra Filii necnon Patris miniſtrum & Vicarium appellant Patres, utriuſque quaſi vices agentem.

CAP. IX.

CYPRIANUS.

Pag. 181. CYprianum eadem quâ cæteros Patres fide & candore tractat Sandius. Hunc ait docuiſſe, 'Verbum juſſum eſſe à Deo Pa-'tre facere omnia, quæcunque ſcil. facta 'ſunt.

Propriam ſylvam cædit Sandius. Si enim à Patre Verbum juſſum eſt omnia facere, omnia facere potens erat, Deus enim impoſſibilia nemini mandat. Eſt igitur Verbum, fatente (ſi non Sandio) Cypriano, omnipotens, &, cum juſſa exegerit, omnium creator & conditor, unus & ſolus (cum plures non ſint) cum Patre Deus omnipotens, omnium opifex. In Deum igitur Patrem omnipotentem credere cœli & terræ creatorem, neutiquam excludit Chriſtum eundem cum Patre Deum ſuper omnia ut omnium conditorem, ut ſupra nos docuit Tertullianus.

Cont. Prax. cap. 8. & ult.

Addit

Addit Sandius ex Cypriano, ‘Chriſtum ‘ dicere Patrem eſſe ſe majorem, à quo clarifi- ‘ cari ſeu glorificari, necnon ſanctificari petie- ‘ rit; cujus voluntatem uſq; ad obſequium bi- ‘ bendi calicis & ſubeundæ mortis impleve- ‘rit. Quæ omnia fruſtra nobis ingerit Chriſto- phorus: cum manifeſtum ſit hæc à Cypriano Chriſto ut homini, & mediatorio munere ſub formâ ſervi in terris fungenti, veriſſimè ad- ſcribi, ſalvâ ſemper eâ, quam in formâ Dei retinuit, cum Patre, paritate. Quinimò, Chriſtum ut hominem à Deo clarificatio- nem petiiſſe, cùm Cypriano libentiſſimè confitemur.

Epiſt. 73. ad Jubaian. pag. 107. edit. Pamelii.

Vid. Irenæum lib. 3. cap. 10. Supra habes p. 38.

Ejuſdem momenti eſt quod ait Sandius Cyprianum alicubi ſcripſiſſe, ‘*Chriſtum ex* ‘ *ore Altiſſimi* (non creatum aut ex nihilo fa- ctum, ut cætera omnia, ſed, quod aliud eſt) ‘ *procreatum ſeu generatum fuiſſe*. Hæc enim cum figuratè & ἀνθρωποπαθῶς dicta fuerint (neque enim Deo os propriè, juxta Audia- norum hæreſin, competit) Sandii cauſam parum promoveant. Non eſt igitur quod hiſce diutius immoremur, quæ nihil aliud ſibi volunt, quàm ſpiritualem & ineffabilem Verbi Dei ex Patre generationem Metapho- râ, ex S. Scripturâ mutuatâ, involutam.

CAP. X.

DIONYSIUS ALEXANDRINUS.

IN S. Dionyſium Epiſcopum Alexandrinum clariſſimum calamum ſtringens cenſorium Sandius, hæc habet, Viro Antiquitatis Eccleſiaſticæ minimè imperito parum digna. ‘ Docuit (*inquit*) Dionyſius factu‘ram & factum eſſe Filium Dei, nec naturâ ‘ proprium (ſcil. *Filium*) ſed hoſpitem & ‘ alienum, ſeu peregrinum eſſe ſecundum ‘ ſubſtantiam Patris, vel à Patre ; Sicut ſe ‘ habet agricola ad vineam, & navium fa‘ bricator ad ſcapham. Etenim (*ait*) tan‘ quam factura exiſtens non erat antequàm ‘ fieret.

Quis hæc lecturus non illico exclamaret Dionyſium hunc purum putum fuiſſe Arianum, vel Arii prodromum. Sed cohibe pauliſper animum, Chriſtiane Lector, ne præceps nimium in Catholicum Eccleſiæ Patrem ſententiam feras. Antiquum obtinet Sandius, ſolitis agit præſtigiis, nullo pudore, candore nullo. Veriſſimum eſt Dionyſium Alex. in diſputationibus contra Sabellium, qui Patrem carnem factum fuiſſe (inſtar Praxeæ) docuit, ſcripſiſſe, Filium Dei ratione humanæ naturæ, ſeu ut filium hominis, eſſe facturam, & hoſpitem, ſeu peregrinum ſecundum ſubſtantiam Patris, & ita ſe habere uti agricola ad vineam, & navium

Athanaſ. de ſententia Dionyſii Alexandr.

vium

vium ſabricator ad ſcapham. Quæ ſanè à viro doctiſſimo rectiſſimè veriſſimeque ſcripta fuere. Quis enim obſecro in dubium vocaverit humanam Chriſti naturam fuiſſe à Patre inſtar vineæ plantatam, aut navis fabrefactam? Hinc Ariani cauſam arripuerunt virum ſanctiſſimum poſt obitum ejus ſolito more calumniis impetendi, quaſi olim eadem cum ipſis ſentientem; quorum inſolentiam ſingulari libello retudit, magnus ille Arianorum malleus, Athanaſius ſupra à nobis laudatus. Immò, multò ante cauſam ſuam egit ipſe Dionyſius in Apologiâ, & Epiſtolis ad Dionyſium Epiſcopum Romanum, quibus falſum eſſe (quod Sandius allegat) affirmat, ſe dixiſſe 'Verbum non 'eſſe conſubſtantiale Patri, ſed opus aliquod '& creaturam in tempore ex nihilo factam, ut malevoli quidam calumniabantur. Immo diſertè aſſerit (quod Arianos confodit) 'Patrem ſemper fuiſſe Patrem, & Filium 'æternæ lucis fuiſſe ſplendorem ſempiter'num, indiviſibiliter cum Patre coexiſten'tem. De ſempiterno autem verè dici non poteſt non erat (ut ait Sandius) antequam fieret. Quod enim ſempiternum eſt ſemper erat, ac proinde nunquàm factum erat, quia nunquam non erat. Vel hinc diſcas, Chriſtiane Lector, quali fide Patrum verba corraſit Sandius, qui Dionyſium Alex. obtorto collo contra clariſſimam, non modò Athanaſii, ſed ſui ipſius, apologiam, & manifeſtam ſententiæ ſuæ (quicquid ſcripſerit) interpre-

Habes ſupra in parte 1.

interpretationem, reclamantem & obnitentem in Arianorum caſtra protrudit. 'Sane 'indignum eſt (*verbis Athanaſii utor*) ut 're in pleno Epiſcoporum Concilio (ſcil. '*Romano ſub Dionyſio*) judicatâ, eidemque 'Dionyſio adjudicatâ, iterum in controver'ſiam, idque poſt tot ſecula (*à Sandio*) in 'Arianorum gratiam, deducatur. Nunquam 'ille (ſcil. *Dionyſius Alex.*) hæreſin propu'gnando (*ſi modò incautius aliquid effudiſſet*) 'ab Eccleſiâ (*uti Ariani poſtmodum*) re'ceſſit, ſed in eâ cum pietate (*inquit Atha'naſius Dionyſii vindex*) obdormivit, Qui ſi 'cum iſtis (*addit*) ejuſdem opinionis fuiſſet, 'minime dubium, quin eadem quæ illi paſ'ſurus fuiſſet, h. e. ab Eccleſiâ depoſitus & 'excommunicatus hæretici pœnam luiſſet. Dionyſii igitur Alexandrini oſſa, Sandii pace, molliter cubent.

Ep. ad Maximum 41. Non ſum neſcius Baſilium M. alicubi Dionyſio Alex. huic ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς impingere, quem aſſerit, non ex malitiâ, ſed ex nimis adverſus Sabellium contendendi ſtudio, Arianæ impietatis ſeminaria præbuiſſe. Vide Baſilium ad Amphiloch. Pluſquam probabile autem eſt Baſilium libros Dionyſii Apologeticos, in quibus ſententiam ſuam pleniſſime explicavit, minime legiſſe; cùm in principio Epiſtolæ in hunc modum ſcripſerit. 'Venêrunt ad nos ejus 'multa, (ſcil. *Epiſtolæ*) ſed libros (nimi'rùm *Apologeticos*) nondùm recepimus. In comperto eſt Baſilium non abſimili modo ab æmulis quaſi perperàm de Spiritu S. ſenſiſſet

accuſatum

accuſatum ſeipſum Dionyſii autoritate defendiſſe. Quod fruſtrà à doctiſſimo Baſilio factum meritò videatur, ſi Dionyſius ejuſdem criminis reus fuiſſet, uti rectiſſime advertit Baronius. Gennadius Maſſilienſis Presbyter in libro de dogmatibus Eccleſiaſticis (Hieronymo & Auguſtino perperam adſcripto) ſimiliter de Dionyſio Alex. ſcribit. ‘Nihil creatum aut ſerviens in Trinitate credamus, ut vult Dionyſius, fons Arii. Sed quæ ſuprà attulimus ad eluendam Dionyſio intentatam à Sandio cum ſuis maculam ſufficere videantur.

Cap. 3.

Conferas Ruffinum de adulterat. libr. Origenis & Hier. Apol. adverſ. Ruffin. lib. 2. c. 4.

CAP. XI.

ARNOBIUS.

HUnc inſuper idem cum Ario ſenſiſſe aſſerit Sandius. Docuit enim, ait, ‘Deum ſolum eſſe ingenitum ; verum Deum ‘non habere Patrem, Matrem, &c. Arnobium hæc ſcripſiſſe agnoſcimus. Quid ergo ? Num igitur Sandius Chriſtum ex Mariâ Virgine genitum & in utero ejus formatum Deum & Dei Filium (ut olim Neſtorius) abnegat? Arius ipſe cum ſuis, necnon Socinus, minimè diffitentur Chriſtum eſſe Deum, verum Deum, Dei Filium, ac proindè Patrem habere Deum, non obſtante eo quem toties inculcant Joannis loco,

In noviſſima editione, pag. 127.

Lib. 1. pag. 19. edit. Leandri, Duaci.

Ut

Joh. 17. 3. *Ut agnoſcant te ſolum unùm verum Deum*, &c. Sed his prætermiſſis cùm contradicendi & innovandi libido homines tranſverſos rapit & obcæcat; Reſpondeo Arnobium eo in loco, ut in cæteris quos indigitat Sandius, contra Gentilium Deos diſputare, quos ex maris & fœminæ commixtione in tempore genitos eſſe profitebantur. In hunc modum Lib. 1. pag. 18, 19. conceptis verbis perorat; ‘Deus omnipo‘tens--neque genitus ſcitur, neque novam ‘in lucem aliquando prolatus, nec ex ali‘quo tempore cœpiſſe---At verò Jupiter ut ‘vos fertis & Patrem habet (*Saturnum*) ‘& matrem, (*Rheam*) avos, avias, fratres; ‘nunc nuper in utero matris ſuæ formatus, ‘abſolutus menſibus & conſummatus decem. ‘Ergo ſi hæc ità ſunt, Jupiter eſſe Deus quî ‘poteſt? Perſentiſcis (Lector) Arnobium vix adhuc cùm hæc ſcripſerit Catechumenum, æternam Filii Dei ex Patre generationem nullatenus attingere, ſed eos tantùm negare Deos eſſe poſſe, qui non aliam nativitatem quàm temporalem ex connubio ortam ſortiuntur. Diſcat igitur ex hoc loco Sandius, Chriſtum non poſſe eſſe propriè & verè Deum, niſi naturam habeat nativitatemque, non in tempore aliquo, ſed ab æterno communicatam.

Addit Sandius Arnobium ſcripſiſſe, Arnob. lib. 2. pag. 64. ‘Unum eſſe rerum Parentem immortalem ‘atque ingenitum ſolum, nihilque omnino ‘ante illum. Hinc ſequi, ut hi omnes quos ‘opinatio credidit Deos eſſe mortalium, aut ab

'ab eo ſunt geniti, aut eo jubente prolati. 'Prolati & geniti & ordinis ſunt poſterio-'ris & temporis---Quod habet vitæ inci-'pientis exordium, neceſſario ſequitur ut 'habere debeat & occaſum. Sed fruſtra hæc omnia à Sandio allegantur; quæ in tempore vitæ incipientis exordium apertiſſimè ſpectant. Si nos ipſi Chriſtum non aliam quàm in tempore vitam ſeu naturam ex Mariâ ortam habuiſſe crederemus, neutiquam revera Deum, ſed Ψιλὸν ἄνθρωπον (ſanctiſſimum licet) convertibilem & mortalem; Jovis inſtar, Neptuni, aliorumque quos Gentilium opinatio Deos conſecravit, palam profiteremur. Viderint interim Sandius cum Arianis ſuis qui creaturam ex nihilo, non ab æterno ſed in tempore, factam convertibilem ſeu corruptibilem, ut Deum, inſtar Ethnicorum, colunt & venerantur. 'Ante eum qui verus Deus audit 'nihil omninò eſt. Non eſt poſterio-'ris temporis. Ita nos inſtituit Arnobius; Poſterior tempore vel duratione qualicunq; Deus, falſus eſt, nullus eſt. Solum Deum æternum nobis Chriſtianis adorare fas eſt. Ibid.

Arnobium etiam ſcripſiſſe ait Sandius, 'Religioſum eſſe credere Deum eſſe ingeni-'tum. Hæc reperias libro 7. (non 8. qui Arnobii nullus eſt.) Sed verbis immediatè præcedentibus ſeipſum explicat. '(Vos *Gen-'tiles*) Deos profitemini eſſe natos, & ex 'maſculorum fœminarumque ſeminibus (*ut 'generationis modum intelligas*) conventio- Pag. 229.

'num

'num progenitos luge, &c. At verò nos 'contra--ingenitos eſſe cenſemus. Hoc enim religioſum eſt credere. Vos habere ſexus 'Deos, &c. nos--diſcretos eſſe ſexibus abne-'gamus, &c. Hæc igitur planè ἀπροσδιόνυσα ſunt, nec Sandii cauſam ullo modo juvant. Religioſum eſt Deum ex maſculorum fœminarumque ſeminibus ingenitum credere, nec minùs Chriſtum Dei Filium ex ſolâ Patris ſubſtantiâ genitum confiteri. V. Lactantium & Athenagoram ſuprà. Cætera à Sandio ex Arnobio allegata minimè adhuc invenire potui, relectis eam in rem quos citat libris.

CAP. XII.

LACTANTIUS.

Pag. 202. LActantium autem nobis depingit Sandius ut Arianum numeris omnibus abſolutum, vel ſaltem Arii præcurſorem. Hunc ait docuiſſe, *Patrem eſſe Deum ſummum*: quod

Inſtitut. lib. 4. c. 29. veriſſimum eſt, ſed addere debuiſſet Sandius, cum Filio & Spiritu S. Lactantius ſanè apertiſſimè docet Filium 'non eſſe 'alium (*quod Ethnicorum Polytheiſmum inferret*) 'ſed unum & eundem cùm Patre Deum;

Ibid. 'quanquam alius ſit (*nimirum perſonâ non* '*naturâ*) à Patre cùm ſit ejuſdem Filius. Spiritûs autem Sancti eundem ſubſtantiam

Pag. 203. agnoviſſe, ipſum Sandium habemus ibidem confitentem. Addit

Addit Lactantium docere; 'Filium aliquando non fuiſſe, ſed productum, factum, creatum vel procreatum à Patre. Lib. 2. c.8. & lib. 4. cap. 8.

Agnoſco cum Lactantio Filium eſſe à Patre productum, & ſenſu inenarrabili ſupra humanam cogitationem procreatum; ſed creatum, aut ex nihilo factum, aut aliquando non fuiſſe apud Lactantium, ni malè memini, nuſquam occurrit. Scribit ille quidem alicubi, 'cum eſſet Deus ad 'excogitandum prudentiſſimus, ad faciendum ſolertiſſimus, antequam ordiretur hoc 'opus mundi, (hoc eſt, phraſi Scripturis uſitatiſſimâ, ab æterno. Quod enim ante jactum mundi fundamentum, ante formatam terram, ante ſecula, extitit, illud cum in tempore non fuerit quod cum mundi creatione cœpit, liquidò æternum & ab æterno eſt) 'quoniam pleni & conſummati boni 'fons in ipſo erat, ſicut eſt ſemper, ut ab 'eo bono tanquam rivus oriretur produxit 'ſimilem ſui Spiritum, qui eſſet virtutibus '(h. e. *ut loquimur, attributis omnipotentiæ,* '*omniſcientiæ*, &c.) Dei Patris præditus. 'Quomodo id voluerit (*voluntate intelligas* '*æternâ*) in quarto libro (*inquit*) docere 'conabimur.

Lib. 2. c. 8.

Pſal. 90. 2. Ante opera ſua Prov. 8. 22. Syrus Interpres reddit, Ab æternitate.

Videſis Chriſtiane Lector, Pater Lactantio boni fons eſt, Filius rivus autem (quod univerſis notum) cum fonte ejuſdem planè naturæ atque ſubſtantiæ eſt; ac proindè æterni fontis rivus æternus.

Similiter nos docent Origenes, Dionyſ. Gregorius Thaumatur. Tertull. &c. imo Euſeb. Cæſar. de laudib. Conſtant.

Hiſce ſtatim ſubjungit Lactantius. 'Deindè

'dè (*inquit*) fecit Deus alterum; in quo in-
'doles divinæ ſtirpis non permanſit, ni-
mirùm Diabolum. Advertendum autem eſt Lactantium, minimè dicere Deum Patrem, Filium bonitatis ſuæ rivum, & ſui ſimilem feciſſe, ſed alterum in quo indoles divinæ ſtirpis non permanſit. Quod Chriſtum nullo modo ſpectat & Sandii cauſam nè hilum juvat. Non ſum immemor Lactantium alicubi in hæc verba ſcripſiſſe, *Factum eſſe Dei Filium per Spiritum.* Notandum autem eo in loco doctiſſimum virum de temporali, non æternâ Jeſu Chriſti nativitate (quas luculenter admodùm diſtinguit) tractare, ut locum inſpicienti facilè conſtabit. Cùm autem Dei Verbum ſolâ Spiritûs S. operâ ſine virili congreſſu ex Virgine Mariâ caro factum ſit, rectiſſimè ſcripſit Lactantius eum Spiritu factum eſſe, ut hominem, Dei Filium. Quod ipſum Angeli verba apud Lucam memorata clariſſimè comprobant. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te,---ideóque quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Sed de his hactenus.

Inſtit. lib. 4. cap. 13.

Ibid. c. 6.

Lucæ 1.

Ita exponunt Zanchius Prideaux, Pearſonus, aliique.

Scripſiſſe inſuper Lactantium ait Sandius, 'Patrem Chriſtum, tanquam primogenitum 'divini nominis appellatione dignatum eſſe, '& eum accepiſſe nomen (ſcil. *Dei*) propter 'fidelitatem.

Fateor Lactantium ſcribere, 'Deum ma-'chinatorem rerum antequam præclarum hoc 'opus mundi adoriretur (ſcil. *ut priùs ex-'plicatum dedimus, ab æterno*) ſanctum & incor-

Inſtitut. lib. 4. c. 6.

'incorruptibilem Spiritum (*non ait feciſſe aut* 'creâſſe ſed) genuiſſe, quem Filium nuncu-'paret. Et quamvis alios poſteà innumera-'biles (*inquit Lactantius*) per ipſum crea-'viſſet, quos Angelos dicimus, hunc tamen 'ſolum primogenitum divini nominis ap-'pellatione dignatus eſt, patriâ ſcil. virtute '& majeſtate pollentem. Sanè qui patriâ, h. e. Dei Patris virtute ſcil. omnipotentiâ, creationis principio, ac divinâ majeſtate ſeu gloriâ pollet; hunc jure meritoque divini nominis honore Patrem dignatum eſſe quis miretur? Digniſſimè ſane veriſſiméque Dei appellatione gaudet, qui divinæ Patris naturæ ſeu ſubſtantiæ particeps factus (ut cum Tertulliano, Novatiano, aliiſque Patrum, voce illâ audacius per Catachreſin, ſed Catholico ſenſu, in Lectoris emolumentum abutar) omnipotens eſt, & (uti Lactantius nos docet) Angelorum omnium creator. Hunc Deus Pater neutiquam ſolâ divini nominis appellatione, ſed porrò divinæ eſſentiæ, ſeu, quod idem eſt, potentiæ, communicatione dignatus eſt.

Filium genuit Deus, Angelos per eum creavit.

V. Novatian. de Trinit. in fine.

Poſt multa illa reperias à Sandio laudata: ſcil. 'Chriſto ob virtutem ac fidem (*non fi-'delitatem*) quam Deo exhibuit in terra, da-'tum eſſe regnum & honorem & imperium 'in terrâ, Quis non videt hæc de Chriſto θεανθρώπῳ, ejuſque regno, non eſſentiali (ut Scholaſtici appellant) ſed mediatorio, apertiſſimè veriſſiméque ſcripta fuiſſe? Argumento utitur, ni fallor, ad hominem (quod aiunt)

Cap. 12.

Vide Juſtin. & Arnobium ſupra, parte 1.

aiunt) Lactantius noſter, quaſi dixiſſet, ſi Æſculapius, Hercules, &c. apud vos Gentiles Deorum nomine gaudeant, quid eſt quod miremini adeò Jeſum Chriſtum, ob præclariora longè κατορθώματα, Dei & nomen & honorem commeruiſſe? Quanquàm autem vel hâc ratione Chriſtus Dei nomine, nomine ſupra *omne nomen* (ut habet S. Paulus) à Patre ornatus ſit, neutiquam exindè conſequitur, eandem appellationem eidem alio & ſuperiori plurimum jure minimè competere.

Lib. 4. cap. 8.

Pergit Sandius aſſeritque Lactantium docuiſſe, ‘Patrem juſſiſſe Filio ut è cœlo dela‘beretur, & in carne denuo (*quod Sandio* ‘*notandum*) naſceretur.

Reſpondeo juſſionem illam impropriè & Catachreſticè ſumptam, non in Filii quoad naturam divinam inæqualitate aut inferioritate ſitam eſſe, ſed in voluntario Patris & Filii conſenſu; qui provinciam ſeu οἰκονομίαν hanc (ut Patres appellant) communi conſilio deſignatam, in ſe ſponte ſuſceperit, & incarnatus exegerit. Incarnationis igitur officium non erat, ſi accuratè loquamur, mandatum ex imperio à Domino ſervo impoſitum, quin potius commune placitum, Filio ejuſdem naturæ conſorti commendatum. Tranſeamus ad reliqua.

Refert Sandius Lactantium alicubi ſcribere, ‘Chriſtum ſe nunquam Deum dixiſſe, ‘quia alias non de uno Deo præconium fe‘ciſſet, nec fidem (*inquit*) ſervaſſet, ſi præ‘ter

'ter unum Deum ſolum colendum alium 'induxiſſet; miſſum enim eum fuiſſe ad 'unum Deum aſſerendum.

Agnoſco, cum Lactantio Chriſtum miſſum eſſe ad unum Deum contra Gentilium idololatriam aſſerendum; ſed addo, Chriſtum non eſſe alium, ſed unum eundemque cum Patre Deum; prout Lactantius ipſe ſupra nos pluribus inſtituit. Unitas igitur Dei minimè Chriſtum ejus Filium unigenitum, ſed Gentilium idola, ut ſuperius ex Tertulliano vidimus, exterminat. 'Judaicæ '(*non Chriſtianæ*) fidei eſt (*inquit*) ſic unum 'Deum credere, ut illi neque Filium neque 'Spiritum S. annumeres. Sandius revera non tam Arianorum quam Gentilium idololatrarum cauſam agit. Quis enim neſcit Gentes dilemma illud, in quo ſolvendo Patres, Origenes, Tertullianus, Arnobius, necnon ipſe Lactantius, tantoperè deſudârunt, in Chriſtianorum invidiam objectaſſe? 'Vel 'unum ſolum verum Deum colitis, vel, ut 'nos, plures. Si plures cur Deorum multi'tudinem nobis exprobratis? Si unum, cur 'Verbum, necnon Spiritum S. Deum eſſe aſſeveratis?

Inſtitut. lib. 4. cap. 14.

Vide Ignat. ad Antiochen. p. 155. Tertull. cont. Prax. cap. 18, 19, 30. Novatian. de Trinit. c. 30.

Athanaſ. Orat. 4. in Arianos. Inſtit. lib. 4. cap. 29. Vide Origen. cont. Celſ. lib. 8. pag. 385. Supra habes.

Ut verò his quæ à Sandio ſuperius adducta ſunt pleniſſimè ſatisfaciam, concedo inſuper Chriſtum Dominum in ſua perſona (ut alicubi habet Irenæus) parcius & obſcurius ſeipſum Deum aſſeruiſſe, quod ſervi formæ, ſeu exinanitionis œconomiæ, maximè congruum erat & conſonum; acquieſcente

Lib. 3. c. 9.

P Verbo,

Verbo, & ex propoſito tacente, ut poſſit inhonorari.

Joh. 10. 35. Chriſtus ſe Deum eſſe firmavit. Novat. cap. 22. Filium ſe eſſe & Deum. Joann. 10. 30. Probavit. Ibid.

Chriſtum autem abſolutè nunquam ſe, vel implicitè & interpretativè (ut aiunt) Deum aſſeveraſſe, aut Lactantium idem ſenſiſſe, minimè liquet. Certè Judæi Chriſtum eò quod ſe Dei Filium aſſeruiſſet, Deum dixiſſe intellexêrunt. Deum (inquam) non metaphoricum, ut magiſtratus, nec adoptivum, ut ſancti homines, Dei Filii nuncupantur; ſed æqualem protinus Deo Patri, ac proindè verum, proprium & naturalem Dei Filium. Hinc illa ſaxis armata: *Magis quærebant* (inquit Evangeliſta) *eum Judæi interficere, quia non ſolum ſolvebat Sabbatum, ſed etiam Patrem ſuum dicebat Deum* (ſenſu nimirùm ſupra dicto) *æqualem ſe faciens Deo.* Judæos autem hâc in re minimè erraſſe, aut falſum collegiſſe hinc manifeſtum ſatis eſt; eò quod Chriſtus eos haud leviter errantes, ſi modò errantes, immò, egregiè blaſphemantes; neutiquàm, ut alias minores longè ob cauſas, correxerit aut corripuerit. Similiter alibi Judæi Chriſtomachi, *Nos legem habemus* (ſcil. contra eos qui Deum alienum colendum introducerent) *& ſecundum legem* (hanc) *debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*, h. e. Filium, non creatum ex nihilo, aut gratia regeneratum (quo ſenſu ſeipſos Judæi Dei Filios venditabant, jactitantes, *Nos unum Patrem Deum habemus*) ſed natura ex Patris ſubſtantia genitum, ac proinde æqualem. Nec tamen Dominus accuſationem

Joan. 5. 18.

Joan. 19. 7. Deut. 13.

cuſationem hanc uſquam (quod legimus) ut blaſphemam diluit, aut ullo modo amolitur, verùm coram Pilato ut veram admiſit, & in *eâ bonâ confeſſione* mortem oppetiit. Math. 20. 63. Joan. 10. 30. 1. Tim. 6.13.

Excipiet fortaſſe aliquis utcunque Lactantium in ea fuiſſe ſententia, 'Chriſtum 'nuſquam ſe Deum dixiſſe, ne propter unum 'Deum contra fidem alium colendum indu'ceret.

Sed his facilè reponimus. Quicquid de Chriſto ſtatuamus, ſive eum ſeipſum Deum prædicaſſe, exploratiſſimum eſt (ut ſupra vidimus) Lactantium ſæpè ſæpius Chriſtum conceptis verbis Deum aſſeruiſſe. Quòd ſi à Lactantio ſine ullâ in Dei unitatem, quam propugnat, injuriâ ſcriptum ſit; quid obſtat quo minus idem ſimiliter à Chriſto, ſine læſa Dei Patris Majeſtate dici potuerit? Nobis ſufficit, non modò Prophetas, ſed Apoſtolos Chriſtum, ipſo etiam audiente, tacente, &, ut videtur, conſentiente, ut Filium Dei, immò Deum, expreſſim celebraſſe. Sed de his ſatis. Petrus Matth. 16. Thomas Joan. 20. 28. Deus mi.

Ultimò de Lactantio hæc habet Sandius. 'Unitatem Patris & Filii ita explicat, ut 'indè manifeſtiſſimè appareat, unitatem 'eſſentialem non intelligendam eſſe.

Lactantium unitatem Patris & Filii per mutuum conſenſum & amoris concordiam explicaſſe in confeſſo eſt. Eundem inſuper utriuſque eſſentialem ſubſtantialem unitatem agnoviſſe manifeſtiſſime apparet. Lib. 4. c. 29.

Lactantium ipſum audiat Sandius. 'Cum Ibid.

'dicimus Deum Patrem & Deum Filium, 'non diverſum (h. e. quoad eſſentiam aut ſubſtantiam quod Deorum multitudinem, vel certè pluralitatem Gentilibus exprobratam inferret) 'dicimus nec utrumque ſe-'cernimus ſeu ſeparamus, ſiquidem nec Pa-'ter ſine Filio poteſt eſſe, nec Filius à Pa-'tre ſecerni; cùm nec Pater ſine Filio poteſt 'nuncupari, nec Filius ſine Patre generari. 'Cum igitur & Pater Filium faciat, & Fi-'lius faciat Patrem (Relata enim ſe mutuò ponunt & auferunt) 'una utrique 'mens, unus Spiritus, una (arrige aures Chriſtophore, vel potius Chriſtomache) 'ſubſtantia eſt. Sed ille (ſcil. *Pater*) quaſi 'exuberans fons eſt, hic (nimirùm *Filius*) 'tanquam defluens ex eo rivus. Quis autem ignorat rivum eſſe ejuſdem ſubſtantiæ, ſeu conſubſtantialem & ὁμοούσιον cum fonte? Statim addit Lactantius. 'Qui quoniam 'ſummo Patri & fidelis & charus eſt, ab eo 'non ſeparatur, &c. Hinc conſtat Lactantium unitatem Patris & Filii non modo concordiæ, ſed & ſubſtantiæ, manifeſtiſſimè docuiſſe.

Inſtit. lib. 4. c. 29. pag. 446. Gallæi.

Vide Tertull. adv. Prax. cap. 10.

Ut tandem aliquando operi huic Colophonem imponam. Præprimis notandum eſt; Lactantium Arianos nominatim in Hæreticorum ordinem redegiſſe, & ne Chriſtianorum nomine dignos judicaſſe. Lactantii verba ad hunc modum ſe habent. 'Cùm 'enim Phryges aut Novatiani, aut Valentinia-'ni, aut Marcionitæ, aut Ariani nominantur,

Inſtitut. lib. 4. cap. ult.

Chriſtiani

'Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine amiſſo humana & externa vocabula induêrunt. Quibus præclarè admodùm ſubnectit. 'Sola igitur Catholica Eccleſia eſt 'quæ verum (*Dei*) cultum retinet. Hic eſt 'fons veritatis, hoc eſt domicilium fidei, hoc 'templum Dei, quo ſi quis non intraverit, 'vel à quo ſi quis exiverit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt. Neminem ſibi 'oportet pertinaci concertatione blandiri. 'Agitur enim de vitâ & ſalute, cui niſi cautè 'ac diligenter conſulatur amiſſa & extincta 'erit. Utinam hæc feriò apud animum ſuum perpenderet Arianorum hyperaſpiſtes Sandius, qui Lactantii autoritate in hæreticorum iſtorum patrocinium pervicaciter nimis abutitur. Ille autem veritati cedere neſcius, Petavium ſuum Jeſuitam ſecutus, merum χριστοφύγετον opponit, ſcil. vocem Ariani perperam in contextum irrepſiſſe, quam etiam in emendatis codicibus non legi aſſerit, immò, in editionibus Thomaſii & Thyſii minimè reperiri. 'Et rectè 'quidem (*inquit*) nam Ariani poſt Lactantii demùm ætatem exorti ſunt. Ego verò Petavio jure meritoque Baronium Cardinalem anteponam. Hic aſſerit vocem illam Ariani in novem Lactantii operum manuſcriptis exemplaribus in Vaticanâ conſervatis extare. Addit Gallæus, 'In pleriſque 'immò omnibus, Thomaſii, & poſt eum 'Iſæi exceptis editionibus inveniri. Fruſtra igitur vocabulum illud perperam in con-

Vide Athanaſ. Orat. 2. in Arianos.

Baron. ad ann. 315.

Notis in Lactant.

textum irrepſiſſe queritur Arianorum fautor Sandius.

Nec minus à vero aberrat cum aſſerat poſt Lactantii demùm ætatem exortos eſſe Arianos. Lactantius enim libros illos conſcripſit *graſſante Licinii in Oriente perſecutione* uti obſervat Baronius; & patet ex ipſo Lactantio, qui in præfatione Inſtitutionum ad Conſtantinum M. hæc habet. ‘Pro quo facto ‘(ſcil. *ob pacem Eccesiæ redditam*) dabit ‘tibi Deus fœlicitatem --- nam malis qui ‘adhuc adverſus juſtos in aliis terrarum par‘tibus (h. e. *in Oriente ſub Licinio*) ſæviunt, &c. Licinius autem eam ob cauſam, Anno 317. à Conſtantino bello potitus, proximo victus & imperio exutus eſt. Arius verò, uti Oroſio, Baronio, Helvico aliiſque videtur, manifeſtè innotuit anno 315. quo tempore à Concilio Alexandrino hæreticus declaratus, & ex Eccleſiâ excommunicatus eſt. Quid mirum igitur Lactantium Arianos nominatim perſtrinxiſſe & inter alios hæreticos notaſſe?

Contigit hæc perſecutio anno Chriſti, 316. Baron.

Oroſius lib. 7. cap. 28. Baronius ad ann. 315. num. 19. & ad ann. 318. num. 42. Vide Socratem lib. 1. cap. 3. & lib. 3. cap. 5. Coriolan. Sum. Concil. p. 191. Lactant. lib. 4. cap. 2. & 4.

Nec laborantem Sandii cauſam illa Iſaci ratiuncula ſublevabit: ſcil. Lactantium ſcripſiſſe, non uti nos ſupputamus anno 316, ſed potius anno 302; Porphyrii & Hieroclis (ut nonnulli conjecturam faciunt) ſcriptis extimulatum. Concedamus eos (quos neutiquam nominat Lactantius) idque eo tempore (quod minimè conſtat) ſcripta ſua in Chriſtianam religionem inſultantia in lucem emiſiſſe, & iiſdem ad reſpon-

reſpondendum vehementer animo commotum fuiſſe Lactantium (uti fortaſſe non unum ſolùm Sandii) aliud interim eſt, ad ſcriptionem extimulari; aliud (quod nec aſſerit Lactantius) illico operi manum admovere; aliud ultra, ad umbilicum perducere, & in publicum protinus emittere. Multa cadunt inter calicem, &c. Manet igitur inuſtum Arianis à Lactantio hæreſeos ſtigma, Sandio haud facilè eluendum. Utcunque ſe habeat, certiſſimè conſtat Arianorum Chriſtomachorum hæreſin ab universâ Eccleſiâ multò ante Arium quoad rei ſummam in Cerintho, Ebione, Theodoro, Artemone, Samoſateno, repudiatam, & damnatam fuiſſe; quin Chriſtum nomine tantum tenus, & æquivocè, ratione nativitatis ex Virgine Mariâ, gratiæ aut dominii à Patre collati, Deum agnovere; ſed ψιλὸν ἄνθρωπον nudum hominem quoad ſubſtantiam eſſe, ſolâ juſtitiæ prærogativâ cæteris præcellentem, ſaltem (quod Arii proprium dogma erat) creaturam ante alias omnes in tempore, vel ante tempus, aut ſecula, ex nihilo factam; non autem Deum ab æterno ex Dei Patris ſubſtantiâ genitum, improbè & nefariè docuêrunt. Quæcunque verò fuere Ethnicorum, Judæorum vel Hæreticorum profana & blaſphema deliria, Catholici Eccleſiæ Patres, unum ſolùm verum Deum, Patrem, Filium & Spiritum S. tres perſonas diſtinctas, unius ejuſdemque æternæ, omnipotentis, omniſciæ & immenſæ ſubſtantiæ par-

Vide Tertull. de Præſcr. cap. 53. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 22. Epiphan. Hær. 65. Auguſtin. de Hæreſ. Adde, Irenæum de Ebionitis lib. 5. circa initium. Sozom. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 5.

ticipes (ut ſuprà demonſtravimus) docuêrunt, credidêrunt, adorârunt. Epilogus omnium ſit celeberrima illa, & ab ipſis penè Eccleſiæ incunabulis decantatiſſima, δοξολογία, Gloria Patri & Filio & Spiritui S. ſicut erat in principio, nunc eſt, & erit in ſecula ſeculorum. *Amen.*

Sozomen. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 19. Baſil. de Spiritu S. cap. 7. & 27.

FINIS.

INDEX locorum S. Scripturæ a Patribus in prima Parte explicatorum.

GEn. 1. 1. *In principio creavit, &c.* *Theoph. Antioch.* pag. 45. *Clemens Alexandr.* p. 56. *Tertull.* p. 96. *Tatianus*, p. 24.
Gen. 1. 2. *Spiritus Dei movebat*, &c. *Origen.* p. 68.
Gen. 1. 3. *Fiat firmamentum*, &c. *Origen.* p. 100.
Gen. 1. 26. *Faciamus hominem*, &c. *Et fecit Deus*, &c. *Ignatius*, p. 7. *Juſt. M.* p. 19. *Iren.* p. 41. *Theoph. Antiochen.* p. 45 *Tertullianus*, p. 100.
Gen. 3. 22. Ecce *Adam factus eſt unus ex nobis. Juſt. M.* p. 20. *Tertull.* p. 100.
Gen. 3. 10. *Audivi vocem tuam*, &c. *Theoph. Ant.* p. 46.
Gen. 16. 9, 10. *Ft dixit Angelus*, &c. *In gentem magnam faciam eum. Novatian.* p. 111.
Gen. 18. 1. *Apparuit Deus Abrahamo. Juſt. M.p.* 17.
Gen. 19. 14. *Pluit Dominus à Domino. Ignat.* p. 7. *Juſtin.* p. 18, 19. *Irenæus.* p. 34.
Gen. 31. 13. Ego *ſum Deus Bethel. Juſt. M.* p. 18. *Iren.* p. 40. *Novatian.* p. 111.
Gen. 32. 28. *Non vocabitur nomen tuum Jacob*, &c. *Novatian.* p. 113.
Ib. *v.* 30. *Vocavit Penicl. Clem. A*, p. 53. *Novatian.* p. 103.

Gen.

Gen. 48. 16. *Angelus qui redemit me,* &c. *Novatian.* p. 114.
Exod. 3. 6. *Ego ſum Deus Abrahæ. Juſtin.* p. 14. 19.
Ib. *v.* 7. *Videns vidi,* &c. *Irenæus,* p. 40.
Exod. 20. 1. *Ego ſum Deus qui,* &c. *Clem. A.* p. 52.
Levit. 11. 3. *Quæ dividit ungulam,* &c. *Clem. A.* p. 59.
Deut. 6. 4. *Dominus Deus tuus unus eſt. Ignat.* p. 6. *Tertull.* p. 203. *Novatian.* p. 116.
Pſal. 2. 9. *Hodie genui te. Origen.* p. 78.
Pſal. 24. 6. *Hæc eſt generatio,* &c. *Clem. A.* p. 59.
Ib. *v.* 9. *Tollite portas,* &c. *Juſt. M.* p. 13.
Pſal. 45. 6. *Thronus tuus ô Deus. Juſt. M.* p. 20.
Ib. *v.* 7. 11. *Deus Deus tuus unxit te,* &c. *Juſt. M.* p. 16. 20. *Iren.* p. 34. *Origen.* p. 70.
Ib. *v.* 15. *Pro Patribus Filios habebis,* &c. *Iren.* p. 39.
Pſal. 50. 3. *Deus noſter veniet,* &c. *Iren.* p. 34. *Cyprian.* p. 131.
Pſal. 99. 6. *Moſes & Aaron,* &c. *qui invocant,* &c. *Juſt. M.* p. 16. *Origen.* 64.
Pſal. 110. 1. *Dixit Dominus Domino,* &c. *Juſt. M.* p. 18. *Iren.* p. 34.
Prov. 8. 22. *Dominus creavit me,* &c. *Athenag.* p. 28. *Iren.* p. 41. *Theoph. A.* p. 45.
Iſai. 6. 3. *Sanctus, Sanctus, S. Origen.* p. 70.
Iſai. 7. 14. *Virgo concipiet,* &c. *Ignat.* p. 7. *Iren.* p. 37.

Iſaiæ 9. 6. *Ecce puer*, &c. *Ignat.* p. 7. *Clem. A.* p. 51.
Iſai. 42. 8. *Gloriam meam alteri non dabo. Juſt. M.* p. 20.
Ib. *v.* 5. *Spiritus exibit*, &c. *Irenæus* p. 42.
Iſaiæ 44. 6. *Præter me non eſt Deus. Ignat.* p. 7.
Iſai. 45. 14. *In te Deus*, &c. *Tertull.* p. 100. *Lactant.* p. 146, 147.
Jeremiæ 17. 5. *Maledictus qui ſpem ponit in homine. Ignat.* p. 5. *Novatian.* p. 109.
Habacuc. 33. *Deus veniet ab Africo. Iren.* p. 37.

Matth. 1. 23. *Vocabunt nomen ejus Immanuel. Iren.* p. 35. 37.
Matth. 6. 9. *Pater noſter qui es*, &c. p. 86.
Matth. 12. 32. *Qui loquetur Verbum in S. S. Origen.* p. 68.
Matth. 12. 41. *Major quàm Solomon hìc*, &c. *Iren.* p. 42.
Matth. 11. 27. *Omnia mihi tradita ſunt. Tertull.* p. 91.
Matth. 19. 17. *Cur me vocas bonum? Origen.* p. 62. 67. *Novatian.* p. 117.
Matth. 18. 20. *Ubi duo vel tres*, &c. *Origen.* p. 72.
Matth. 28. 19. *Baptizantes eos*, &c. *Origen.* p. 68. *Cyprian.* p. 133.
Marci 2. 7. *Quis peccata remittere poteſt*, &c. *Iren.* p. 43.
Lucæ 1. 35. *Ideo & quod naſcetur*, &c. *Novatian.* p. 107.

Joann.

Joann. 1. 1. *In principio erat Verbum*, &c. *Ignat.* p. 7. *Iren.* p. 36. *Clem. A.* p. 49. 53. *Origen.* p. 79. *Theoph. A.* p. 47. *Tertull.* p. 98. 100. *Novatian.* p. 116.

Ibid. p. 3. *Per eum facta ſunt omnia. Iren.* p. 37.

Ib. *v.* 26. Ecce *in medio veſtrum ſtat*, &c. *Origen.* p. 72. 82.

Joann. 3. 13. *Qui eſt in cœlo. Origen.* p. 64.

Joann. 8. 58. *Ante Abraham ego ſum. Origen.* p. 76.

Joann. 10. 30. Ego *&* Pater *unum ſumus. Origen.* p. 75. *Tertull.* p. 86. 98. 104, 108. *Dionyſ. Rom.* p. 125. *Clem. Alex.* p. 53. *Novatian.* p. 108.

Ib. *v.* 35. *Si illos Deos*, &c. *Novatian*, p. 109.

Joann. 14. 11. Ego *in Patre &*, &c. *Origen.* p. 75. *Dionyſ. Rom.* p. 125. *Tertull.* p. 98.

Joann. 5. 23. *Ut honorificent Filium ſicut*, &c. *Origen.* p. 64.

Johann. 17. 3. *Ut cognoſcant te*, &c. *Ignat.* p. 7. *Novatian.* p. 110.

Ibid. *v.* 10. *Omnia tua mea ſunt*, &c. *Origen.* p. 67.

Ibid. *v.* 5. *Gloria quam habui*, &c. *Iren.* p. 40. *Novatian.* p. 110.

Joann. 20. 28. *Deus meus. Novatian.* p. 116.

Rom. 9. 5. *Deus ſuper omnia. Iren.* p. 36. 39. *Origen.* p. 62, 63. *Tertull.* p. 103. *Novatian.* p. 116.

Rom. 10. 14. *Quomodo invocabunt*, &c. *Origen.* p. 63.

1 *Corinth.* 8. 6. *Sunt Dii multi*, &c. *Origen.* p. 62. *Novatian.* p. 117.

Coloſſ.

Coloſſ. 1. 15. *Primogenitus omnis creaturæ*, &c. *Orig.* p. 66. *Novatian.* p. 106.

Philipp. 2. 6. *Non duxit rapinam*, &c. *Origen.* p. 64. 79. *Tertull.* p. 92.

Ibid *v.* 10. *Ut curvetur omne genu, &c. Iren.* p. 31.

1 *Joann.* 5. 7. *Hi tres unum ſunt. Cyprian.* p. 133.

Apoc. 1. 8. *Deus omnipotens. Origen.* p. 67.

Apoc. 22. 9. *Chriſtum adora. Cyprian.* p. 132.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Errata.

Pag. 36. lin. 15. interpretatur. p. 50. l. 7. ὄντως. p. 60. l. 21. aliique. p. 75. l. 17. ipſo. l. 29. reverenter. p. 82. in marg. αὐτόλογον. p. 83. in marg. *dele* meritò. p. 94. in marg. Meiſnerum. p. 101. l. 19. nequeat. p. 104. l. 20. poſſum. l. 30. dilectionem. p. 106. l. 21. *inſere* Deus. p. 107. l. 7. altiſſimi, &c. p. 128. in marg. Divinam. p. 132. l. penult. pro Cypriani l. Cornelii. p. 141. l. 16. unica. p. 145. l. 21. ut Patri ſimilis exiſteret. p. 183. l. 24. iique. l. 26. aliique. p. 191. l. 3. Patres. p 198. l. antepenult. reciperentnè. p. 201. l. 22, 23. *del.*' ' p. 219. l. 15. viderit. p. 220. l. 1. *del.* luge.

10H
4-4

Digitized by Google